De bello [brak tu] ... 193 — 283

Stanislai Ori-

CHOVII RVTHENI, DE LEGE
Cœlibatus, contra Syricium
in Concilio habita
Oratio.

EIVSDEM STANISLAI AD
*Iulium Tertium Pont. Max. Supplicatio,
de approbando matrimonio
à se inito.*

ITEM,

*De bello aduersus Turcas suscipiendo, ad Equi-
tes Polonos, Turcica prima.*

*Ad Sigismundum Poloniæ Regem, Tur-
cica Secunda.*

BASILEAE.

STANISLAVS ORICHOVIVS RVthenus, *ad quendam amicum suum.*

COelibatum ad te mitto, opus à me promissum, & à uobis olim expectatū. Quod si expectationi nō respōdet, cogitare debetis, hęc ab homine Sarmata, eoq; Rutheno, conscripta esse: cuius barbarum nomē facilè à uobis impetrabit ueniam, si alicubi fuerit à me in opere titubatum. Occurrent enim pleraq; fateor, quæ à seueris hominibus reprehendi possint. Sic enim scortationem interdum ipsam pepuli, ut rem turpem non multò sępe honestiori uerbo exęquarem. Verùm tu nos isthic defendes. Et quoniam bonorum uirorum hortatu ista scripsimus, da operam, ne absque patrono isthic condemnemur. Leges itaq; tu hæc cū Cromero nostro, & cū cæteris: cum ijs uerò præsertim, apud quos non cognoscendi solum, sed etiam ignoscēdi sit locus. Intelligo, quanto cum periculo hæc ad uos mittam.

a 2 Nam

Nam tantum poteſt nunc cœlibatus
hic noſter apud multos, ut in ipſo eti-
am ſtupro reprehendi nequeat abſq;
periculo. At ego qui ueritatem men-
dacio à me detineri nolo, hæc ita edo,
ut paratus ſim hæc capite tueri, ſi argu
mento non potero. Sed non prius ta-
men producet̃ hoc opus à me, quàm
à uobis fuero factus certior, quid de il
lo ſentiatis uos. Nã me huius ſanè nõ
pœnitet. Et quoniã parẽtes ipſi fauẽt
poſtremis magis fœtibus, ꝙ primis, il
losq; etſi ſecus ſint, laudãt magis: ſic
ego quoq; magis neſcio q̊ modo dele
ctor hoc opere, quod poſt alia opuſcu
la noſtra nũc ſum enixus. Nã trifariã
oratione partita, illa officia oratoris
ſumma, quæ ſunt, docere, delectare,
mouere, retinere ſtuduimus, quodli-
bet in qualibet orationis parte. Nã in
prima parte preſſius diſputamus de le
gib. ipſis, in ſecunda delectare uolui-
mus, in tertia mouere. In qua omni ge
nere amplificationis exarſimus, at nõ
aſſequimur fortaſſe: fateor, conamur
tamen

tamẽ certè quidẽ. Quare tu perfer pri-
orũ in legẽdo moleſtiã: et cũ media et
poſtrema legeris, tum demum ſtatue
de oratione ipſa tota. Ego iam hãc de-
ſpondi hiſce tribus: Tarnouio, Cmi-
tæ, atq; Gorcæ. Opus etiam ut Craco
uiæ excudatur, non multum laboro.
Nam ſi iſthic obſeſſæ ſunt à Mona-
chis chalcographicę officinæ, certè ex
cudet̃ alibi, ſi uobis labor noſter pro-
babitur. Petrũ Royſiũ Hiſpanũ iube-
bis ſaluere meis uerbis; & cũ hoc uel
in primis cõmunicabis opus noſtrũ.
nã is bonus autor ſuorũ, non peſſimẽ
aliena iudicat. Oſij uerò ſuffragia, ta-
metſi, ut tu ſcis, plurimi facio: quia ta-
mẽ ſentẽtia ipſius à noſtra diſſidet, ue
reor ne huic noſtrę cauſæ ſit iudex pa
rũ propitius, et nos quoq; ſcortatores
citius ꝙ cõiugatos ꝓferat in Eccleſia.
Vale, et ſi hęreſeos ob matrimoniũ à
ſcortatorib. condẽnabimur, ſignifica.
nam ſcio de capite meo fore comitia,
quòd laruam detraxerim ſpur-
ciſſimæ pudicitiæ.

AD ROMANVM PONT. COElibatus autorem.

Da plantā mihi, des animal Papa stulte uel unum,
Quod premat, & nolit semel habere suum:
Iure tuo castus uiuam, & sine coniuge cœlebs:
Te castum credam, sacrificosq; tuos.
Quod si tu spurios habeas, habeantq; sequaces
Scorta fututores, stirps docet esse patres:
Ah fugiam properè à Sodomæ mortisq; ministro:
Naturæ atq; Dei iura uerenda sequar.

IN ORATIONEM STANISLAI *Orichouij, contra cœlibatus impuri pertinaces defensores.*

Non ita, cum toto densantur nubila coelo,
Turbidus æthereo Iuppiter axe tonat:
Qualiter accensus cœlesti Orichouius ira,
Sacrilegi in Papæ turpia monstra tonat:
Nulla Gomorritas quæ celet, restat imago,
Omnia multiplici picta colore uides.
Perlege succinctum modo lector amice libellum,
Cunctaq; iudicio candidiore proba.

DE LEGE COELIBATVS CONTRA SYRICIVM ROmanum in Concilio oratio habita, à Stanislao Orichouio Rutheno.

NEMO *uestrûm, Iudices, aut eorum qui adsunt, arbitretur, me priuatis inimicitijs adductum, ad accusandum Syricium Romanum descendere. Neq; etiā illud suspicetur, me leui de causa ipsius potentiæ nunc demum uelle obsistere: de qua ille ne unquam periclitaretur, quæ præsidia circum forum, quæ in templis collocarit, uidetis. Verùm cum omnia Syricij consilia eò spectent, ut exterminato ex Ecclesia matrimonio, sublato etiam uxoris usu casto, atq; legitimo, pecudū ritu in fœda scortatione uiuamus, hominem in uestrum iudicium adduxi, ut me accusante, uobis legibusq;, quas omneis diuinas atq; humanas uiolauit, iustas pœnas, debitasq; persoluat.*

De cuius quidem lege, quam is de cœlibatu tulit, antequam dicere incipio, illud à uobis petam, ut in hac causa retineatis id, quod in minoribus causis obseruare soletis: ut non tantum quid factū à quoquam, scriptum'ue contra leges sit, uideatis,

ſed etiam quid inde conſequatur, iudicetis. Idem uos in hoc iudicio adhibere æquum eſt, ut in hac Syricij lege, quam is contra omneis leges tulit, nō ſolum uerba ipſius audiatis: ſed multo etiam magis ea quæ inde manant, cogitetis. Si enim is cū ipſa lege ſimul ſcripſiſſet, quæ probra atq; dedecora illa ſua lege in hominum uitam inferret (quod ille perſpicuum fore, et inuidioſum, arbitratus eſt) nō tam facile nos decepiſſet, neq; tot notas nomini ordiniq; noſtro inuſiſſet. Verùm cum is aliud ſua lege oſtēderet, aliud uerò cōpararet, omnia nobis fraude legis ſurripuit, quibus antea ornabatur uita noſtra. Itaq; cum is uxores à nobis ſegregaret, ſpecioſo ipſius continentiæ atq; caſtitatis nomine, quid quæſo aliud egit, quid uerò perfecit, quàm ne quid ſinceri inter nos, ne quid ſancti in ordine noſtro eſſet? quod ille cum fraude atq; mendacio in ſua lege contexiſſet, legemq; ipſam non ratione, ſed armis ſuaſiſſet, in hanc infamiam, ceu quandam pernicioſiſsimam flammam, ordinem noſtrum coniecit: quā utiq; uos omni ratione extingui uelle debetis, Iudices, ut hæc ſubmota, erepta nobis, ordiniq; ueſtro, per Syricium ornamenta recuperetis.

Ad me quantum attinet, facile intelligo, quanto cum periculo hunc accuſem. Nam non ſolum me potentia Syricij terret, ſed etiam illa ſuſpicio: ne uidelicet id quod ego facio, non officio accuſationis

adductus, ſed animi cauſa facere uidear, cum uxores ſacerdotum, homo adoleſcens, aduerſus Syricium defendam. Cui quidem ego ſuſpicioni, Iudices, fretus ueſtra ſapientia, facilè concedam. cauſam enim ago communem: & ea præſidia nunc à Syricio requiro, quibus adoleſcentiam noſtram contra dominatum carnis, Deus & natura munierant. Hæc ego ab Syricio in hoc iudicio repeto, hæc mihi ab illo erepta eſſe conqueror, ut hæc uos ſtatuatis, omnem hanc meam accuſationem non ſolum fidei, ſed etiam neceſsitati cuidam eſſe tribuendam: ut mihi eo maiorem fidem in ea cauſa adhibeatis, quanto perſpicitis magis, communem mihi iniuriā uobiſcum hanc eſſe. Nam ne mihi potentia Syricij obſit, primùm religio ueſtra præſidium mihi certum contra illum pollicetur, qua iurati in hoc cœtu ideo conſediſtis, ut ægrotæ, ac propè deſperatæ Eccleſiæ opem feratis. Deinde in me uno ſtatuendum uobis eſt, liceat'ne aliquando bonis ac fortibus uiris, amoto metu, uocem liberā in hoc ueſtro conſeſſu pro Eccleſia mittere: ut falſum eſſe id uideatur, quod de uobis circumfertur, id quod etiam magno cum incommodo percrebuit: Vos liberum & Chriſtianū Concilium in Germania eſſe nolle. Quam utiq; opinionem pernicioſam Eccleſiæ, uobis etiā periculoſam, ut falſam eſſe doceatis, adduxi hunc hominem, Dei aduerſarium, hoſtem natu-

ræ, prædonem iuris humani atq; diuini: pestē atq; perniciem omnis honestæ inter homines, tranquillæq; uitæ. Quem si uos seuerè, religioseq; iudicaueritis, recuperabitis existimationem ordinis uestri amissam: motus etiam hos, quos istius lege concitari uidetis, facilè compescetis. Quòd si istius ingens improbitas tantū apud uos ualebit, ut non modo nolentibus, sed etiam approbantibus uobis impunè Syricius in Ecclesia scortetur, nobisq; eas leges uobis autoribus præscribat, ut repudiatis legitimis uxoribus, cū scortis impudicè uiuamus, quid restat aliud, quàm ut honesta atq; consentanea naturæ ipse per se quisq; sequatur, Syricio lenone uobis relicto? Equidem quod ad me attinet, nunquam huic homini diem dixissem, nisi rei ipsius turpitudo, Sodomæ atq; Gomorræ tristē exitum me perhorrescere coegisset. Quod si istius aduocati ueritatem iudicij uestri perfregerint, ego tamē hoc assequar, ut optimus quisq; intelligat, non accusatorē, sed iudicium huic causæ defuisse: quam ego suscepisse me scio, omnibus Græcis, Latinis, atq; barbaris nationibus gratissimam. Quid est enim quod à uobis tantopere expectetur, quàm ut scortatione ex Ecclesia eiecta, castè, pudiceq; cum uxoribus, liberisq; nostris uiuamus?

Neq; uerò illud me cōmouet, quòd Syricio adesse uideam complures patronos, non minus potentes

tes

tes quàm disertos, qui illi student, illum defendunt: qui illum ereptum ex uestro iudicio esse uolunt, qui nobis pertimescendi ideò non sunt, uel quòd oratione turpem tueantur uitam: uel quòd, quanto uita illorum ab oratione dissentit magis, tanto facilius à nobis possunt refelli. Quod ego facilè assequar, Iudices, si ea quæ sunt in hac causa, & quæ mente concœpi, dicendo explicare potero: ostendamq; Syricij legem non modo utilem Ecclesiæ nō esse, sed omnino perniciosam esse, repugnantē ipsi Deo, aborrentem à legibus institutisq; naturæ: postremò, omnis humanitatis, honestatisq; expertē. Cum enim duabus rebus potissimū omnis honesta, tranquillaq; hominum contineatur uita, pudicitia nempe, atq; iustitia, quòd his remotis neq; cœtus ulli, neq; domus stare possunt: habita à Syricio ratio est diligenter, ne utrumlibet horum in Ecclesia esset. nam utrunq; sustulit planissimè, dū adempta sacerdotibus uxore, ex alieno matrimonio coniugij pellit fidem: dum permiscuo concubitu incertam facit suam cuiq; sobolem, dum nullum hominibus ipsis reliquit remedium, contra carnis impunitatem atq; licentiam: quæ caro inquam, ut in uitium fluat, quamq; sit præceps, nisi coniugij sustentetur fulcris, cùm sensus ipse, tum quotidiana stupra nos docent. Et profectò ita res est, Iudices: nisi habeas qua cum uiuas, in illa omnia necesse est te

prolabi

prolabi uitia, quãtumuis tu uirtutem iactes tuam: quæ ex contraria oriuntur parte. Cuiuſmodi ſunt, ſcortationes, adulteria, inceſtus, fœdi deniq; ac ne dicendi quidem concubitus: quibus obnoxia Sodoma, cum Gomorra interijt: quorum uitiorum aculei atq; faces pro pœna ſunt his, legitimas qui ſpernunt nuptias, & qui legem ipſius naturæ, in membris noſtris inſcriptam, tranſgreßi, caſtos ſe iactãt eße ſtupro in medio. Hæc igitur, Iudices, mala atq; incommoda cum in Eccleſiam inferret Syricius, legem tulit huiuſmodi: Ne quis noſtrûm ſit cũ uxore, néue quis ſacerdotum in matrimonio ætatẽ degat: ita homo iuſtus atq; ſanctus pœnam capitis cõtinentiam nobis præſcribit, quam totidem legis ſuæ uerbis in eodem edicto tollit, ut audietis. Ita ille diſſenſit non modo à re ipſa, ſed ipſe à ſeſe. Atq; ut hoc ex ipſius edicto cognoſcatis, cedo mihi ipſius legem, quam is impudicißimè, inſidioſiſſimeq; cõtra pudicitiã, continentiãq; conſcripſit. Recita.

LEX SYRICII.

Miniſtri altaris, presbyteri, ſiue diaconi, ad Dominica taleis eligãtur officia, qui continentiam ſeruent. Si uerò poſt ordinationẽ ſuam, miniſtros contigerit propriæ uxoris inuadere cubile, ſacrarij non intrent limina, neque

que ſacrarij portitores fiant, neq; altare contingant, neq; ab offerẽtibus holocauſti oblationem ſuſcipiant: neq; ad dominici corporis portionẽ accedant, neq; propinent: neq; ſine maiori autoritate minora gerant officia. urceum ſanè ad altare, uel calicem, non ſuggerant, &c.

Hæc lex eſt Syricij, Iudices: cuius improbitatẽ facile ueſtra ſponte perſpicitis, cum quidem matrimonium una res ex omnibus ſanctißima, tanta afficiatur ab hoc homine contumelia, ut eos qui illo ſunt præditi, neq; ſacrarij limine, nec portitura, nec ara ipſa, quæ ſeruis ſemper patuit, dignos putet. Sed ita illos ſacris arcet, ut neq; oblationis, nec corporis Seruatoris ſinat eos eſſe cũ cæteris participes: deniq; ita illos deſpicacißimè ſpernit, ut ne urceolum quidem, id quod uidebatur eſſe poſtremum, ab illis contingi uelit. Atqui in hac iſtius lege, non facilè ſtatuetis Iudices, matrimonij ne, an uerò ipſorum ſacrorum hoſtis maior uideatur eſſe Syricius. Tangi à ſacerdotibus maritis ſacra non uult, quæ à diſſolutis impunè tangi uidet. Excludit ſacrarij limine maritos ſacerdotes: quod tamẽ ſcortatoribus, atq; ipſi Syricio ſemper patuit. Remouet ab ara uxorum uiros, cuius tamẽ aditu ſcortatores.

tatores, atq; ipsos adulteros nunquam prohibet:
Itaq; hac ista lege, quod sibi ipse probare nunquã
potest, id nobis persuadere conatur, ut uidelicet
meliores, probabiliores, ac sanctiores ministros Ec
clesiæ putemus eos esse, qui autore Syricio uxores
abiecerũt: quàm eos, qui sua freti sunt cõiuge. Qua
sanè in re mihi ridiculè uisus est esse inconstans.
Cum enim matrimonium sacerdotum, quod incon
tinentiam id putet, ex Ecclesia tollat, amens atq;
cæcus huc fertur, ut pro matrimonio scortationem
ipsam palàm in Ecclesiã introducat: cum eos prò
castis atq; sanctis coniugibus, aris admoueat, quos
leges ipsæ diuinæ non solum sacris, sed etiam ipso-
rum sacrorũ conspectu priuauerunt. Contra quam
legem, etsi quòd clara sit turpitudine ipsa per sese,
diutius dicere non debebam: tum quòd multi sunt,
quos Syricius in hanc fraudem, non ratione aliqua
(quis est enim ita cæcus, qui huius legis infamiã nõ
uideat?) sed ui & armis, bonorumq; publicatione
impulit, dicendum mihi necessariò apud uos est, ut
in hoc uestro iudicio Syricius damnatus, qui tot
probris Ecclesiam affecit, tot in ea concubitus pe-
perit, tot scortatores, adulteros, ac cynædos sua
lege Orco demisit, aliquando concidat: & illas sce
lerum faces, quas hac ista lege incendit, seueritate
ac religione uestri iudicij extinguat atq; deleat.

Hæc mea ratio est, Iudices, hic cursus orationis

meæ: huc etiam huius accusationis ratio spectat, ut
abrogata per uos Syricij lege, redire in gratiam
cum populo Romano possimus. Qui cum nobis cæ
tera concedat, pudorem tamen, atq; uerecundiam
non concedit: uxores suas, nisi nos habeamus no-
stras, tot edoctus periculis atq; stupris, tutò se ha-
bere non putat: tum etiam pudicitiæ liberorũ suo-
rum metuit, quoties nos intuetur uagari caterua-
tim absq; uxoribus per orbem, insidiantes somno
maritorum, atq; parentum. Deniq; ipsam urbem
Romam, quæ domicilium summi imperij atq; reli
gionis olim fuit, docet opera nostra ita flagitiosam
esse factam, ut in ea non Petri Galilæi, sed Priapi
Lampsaceni sedes iam uideatur esse. Nã neq; scor-
tis alendis locus alter in orbe terrarum uberior ul
lus est, neq; scortatoribus honos usquã habetur ma
ior. Quare causam esse uidetis, cur hanc legẽ fundi
tus tollatis. Et ne id oratione mea potius, quàm
re ipsa perfectum esse apud uos uideatur, princi-
piò dico legem hanc tollendam esse quòd iniusta:
deinde, quòd grauis: postremò, quòd turpis sit. In
hac causa, Iudices, tametsi hæc tria quæ proposui,
sua spõte sint perspicua, tamen de omnibus dicam:
& de eo prius, quod apud uos plurimum debet ua
lere: hoc est, de legibus ipsis à Syricio uiolatis,
quibuscum iustitia omnis ab eo ex Ecclesia sublata
est. Peto autem à uobis, quorum iudicium Eccle

sia de rebus suis grauissimum esse uoluit, ne ipsius continentiæ blanda appellatio, qu a is fucum nobis sua lege facit, aliquid mihi apud uos obsit, quo minus iuris uestri iurandi memores, liberè sententiam secundum leges feratis. Me etiam ita audietis, ut cum edictum Syricij aduersus omneis leges scriptum esse dixero, ne quid tamen ualeat Syricij nomen in causa: sed illud solum à uobis consideretur, quantum ipsius edictum consentiat cum re ipsa, nec præterea quicquã in hac parte cogitetis. Quãdo uerò docere cepero, quantæ calamitates Ecclesiæ sint hac ista lege à Syricio importatæ, tum res ipsas uidere debetis, hæreant'ne in nostra uita, nec ne hæreant. Cum autem illas ignominiæ maculas, quæ nomini ordiniq; nostro hac ista lege ab hoc asperguntur, demonstrauero, tum uos ipsi de uobis, ac de nobis cogitetis, in quantis probris ac flagitijs Syricio autore uolutemur. Quod si hoc animo in me audiendo fueritis, facilè singula intelligetis: ego etiam quæ suscepi in hac causa breuiter & dilucidè perorabo. Cape autem mihi ipsas leges, quæ apud Mosen sanctæ de matrimonio habẽtur, quibus hic uim nefariam intulit: atq; eam primò, quæ cum ipso homine, atq; adeò cum ipsa rerum natura simul nata est. Recita.

LEX DEI.

Dixit quoq; dominus Deus, Non est

est bonum, hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium, simile sibi.

Hæc lex est, Iudices, non ab homine lata, sed ab ipso omnium rerum autore, atq; Deo, ante hominum genus natũ, qua in lege auditis, dixisse Deũ: quo quid grauius dici, aut mirabilius audiri potest, quàm hanc legem de matrimonio, ore ipsius Dei Opt. Max. ferri? atq; illam hominis naturæ conuenientẽ sanciri, ut id quod in ea sit dictum, non solum mente agitatum, sed etiam ore, & penè lingua Dei nostri decretum, sancitumq; in perpetuum esse uideatur. Quam qui tollit, aut mutat, nõ apertè uobis aduersari Deo uidetur? At quid'nam in hac ista lege Deus dicat, attendite, ut inde improbitatem Syriciæ legis agnoscatis, in qua ille totidem uerbis atq; literis huic legi sceleratè aduersatur. Malum est hominem esse solum. Non dico qua mente, sed qua fronte mutare hoc istud Dei edictum tanta autoritate latũ ausus es, ut id quod Deus malum esse dixit, tu contrà bonum esse diceres? solitariamq; uitam nobis pœna capitis, bonorumq; publicatione præscriberes? Quomodo tu hanc manum plenam perfidiæ, & hos digitos tuos impellere potuisti, ut tantum nephas præscriberes? Verbum mihi deest, Iudices, cum ego hoc scelus, nephas appello. Sed profectò maius est quiddã.

nullum enim scelus humanum unquam fuit, quod non, si minus hominibus, diuino tamē numini parceret: hoc uerò infinitum est, omnia simul complectitur, omnia euertit uno & eodem scelere. Dei enim uerbum, Dei edictum, Dei iussum tollit, cum omni ui, potestateq; diuina.

Neq; id occultè ille facit, ut lateat, sed palàm cōtrarijs uerbis: ut Dei dictum, non dictum: malum, non malum, hominem solum esse dicat: idq; ita tenendum omnibus execrationibus publicis sancit, ut qui ab hoc dissentiat, aut qui hanc legem Dei ipsius edicto anteponat, cum sacrarij excludat limine: ab ara etiam, quæ asylum sceleratis semper fuit, abripiat ad supplicium. Si in te nullus sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis, tamen cogitare debebas, id quod fuit postremum, te hominem mortalem, omnibus rebus inferiorē esse Deo: ut in Deum ipsum immortalem, quem muta quoq; atq; inanima horrent, impius, sceleratus, ac nepharius esse nolles. Huic'ne tu legi tam antiquæ, tam sanctæ, tam religiosæ, manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? Si nos his artibus ac disciplinis institutus eras, quibus hoc paßim traditur, procreandi causa uxorem à natura esse datam uiro, sine qua uita nobis (quod dicitur) uitalis non esset: tamen si te ipse respexisses, si tua stupra atq; dedecora cogitasses, potuisses statuere, ea tibi delere nephas

re nephas esse, quæ Deus digito suo scripserat: neque bonum, hominem esse solum, dixisses, quem malum Deus solum esse dixerat. At cur dixerat? attende Syrici, & aliquādo cognosce, cur id sit malum, quod tu bonum esse aduersus Deū contendis. Faciamus, inquit, ei adiutorium simile sibi. Audi Syrici, cur malum sit homini solum esse: quia sine adiutore, & quasi consorte huius uitæ, malum est illi esse, absq; quo hominis ætatem uix, aut ne uix quidem ille durabit: tum etiam, quòd hoc ipso adiutore amoto, necesse est illum impudicè, hoc est, more tuo uiuere: nihil habebit quo se consoletur, cui innitatur, nil differet à uictu cultuq; ferarum, ibit in amplexus obuios: non sexus huic, non thorus, nō domus ulla clausa erit: perfringet ac prostrabit omnia, si nil habuerit, quò sese uertat, & quo intra fines pudoris ac uerecundiæ se contineat: abibit in præceps, furore deniq; ipse ruet suo. Plena exemplorū huiuscemodi Roma est tua Syrici, quæ quod dicto tuo, contra dictum Dei paret, à qua tandem turpitudine illam abhorrere cernis? quod scelus, quod flagitium illi non hæret? cum repudiato hoc isto adiutore, solitaria, tanquam lutulenta sus, in omni libidine tecū uolutatur? Sed de hoc ipso erit fortasse alter nobis conquerendi locus, ut hoc Syricius intelligat, nil tam ad uestram religionem, uestrumq; iusiurandum pertinere, quàm ut abroga-

ta eius lege, Dei legem nobis restituatis. Nunc uos reliquas leges audite, quibus matrimonium in hominum uita est à Deo constitutum: quas omneis hic aboleuit, dum scortationi ad Ecclesiam uiam munit. Tu quæ deinceps consequuntur, recita.

LEX.

Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.

In hac lege uidetis Iudices, cur præ cæteris animantibus omnibus dignior habeatur hoc isto adiutore, siue coniuge, homo. nam cum homo imago ac similitudo ipsius sit Dei, quanto is melioris naturæ præstantiorisq; factus est particeps, tāto quoq; dignior habitus est melioris uitæ modo. Cū enim reliqua animantia solo sensu agitentur ac moueantur, cunctaq; ad corpus referant, matrimonio carent: nec applicantur ad unam certam coniugem, sed ex cuncto ipsorum pecudum grege, fructum uoluptatis, propagationisq; quærunt. At homo diuinitatis particeps, quòd ad maiora natura sit factus, ut libidinem uoluptatis coniugio certo moderaretur, prouisum illi ab ipso Deo est. At quomodo prouisum, cognoscite Iudices: ut aliquando intelligatis, quanto bono hoc autore simus priuati. Masculum, inquit,

inquit, & fœminam creauit eos. Iis uerbis intelligi datur, ut ego quidem puto, tanta coniunctione, tantaq; societate constrictum esse masculum cum fœmina, ut neq; masculus absq; fœmina, neq; fœmina absq; masculo rectè dici poßint: ut horū altero quauis ratione segregato ab altero, illud sit perpetuò uerum, quod in superiore lege est dictum, nempe hominem solum malum esse. Cum enim hæc naturali copulentur lege, dubium non est, hæc ad sese mutuò ita referri, ut nisi simul sint, ipsa per se nequeant subsistere. Quorum quidem coniunctio atque necessitudo quàm arcta sit, quamq; (ut ita dicam(inter se compacta, ex sequenti lege intelligetis, quam tu recita.

LEX.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

His uerbis cognoscitis, quanta neceßitudine cōiuncta sit fœmina cum masculo, ut ipsorum neceßitudo omnibus anteponatur ab ipso Deo neceßitudinibus. Quid enim amantius est, quid indulgentius, nomine ipso materno atq; paterno? quid uerò cuiquā est charius, quàm sunt sui cuiq; liberi? Tanta tamē neceßitudo huic uni cōiunctioni cedit, qua applicatur uxor uiro, ut præ hac minor uideatur

esse liberis mater atq; pater: quo quid mirabilius dici, aut fingi potest? ut uterq; parẽs, quo maius post Deum liberis ante ipsum coniugium nil est, in ipso coniugio liberorum modis omnibus sit minor: in quo patris, matris, uir locum occupat: & in quo uxor etiam ipsa socrus suæ atq; nurus numero sit uiro, ita ut hæc istorum coniunctio omnium coniunctiones complectatur. At quomodo complectatur? Audi Syrici, & aliquando te collige, atq; cogita quantum facinus sis ausus, dum inter hos dissidium ponis, dum eos tua lege disiungis, quos Deus non animorum consensione tantum, sed etiam ipsorum corporum conspiratione coniunxit: dũ quidẽ ore suo diuino, tanta autoritate, hoc quod sequitur pronunciat:

Et erunt duo in carne una. Id autem est, ut neq; corpora illis seorsim sint libera, sed ut alter alterius corporis habeat potestatem: ut uidelicet nil inter hos sit uagum, nil solitarium, neq; proprium, sed ut animis et corporibus ita coalescãt, ut è duobus unus planè uideatur factus homo. Quo quid sanctius? quid coniunctius potest uideri, quàm est hæc diuinitus constabilita maris atq; fœminæ coniunctio? Vnde uos facile perspicitis Iudices, nil tam hominis naturæ proprium esse, quàm cũ hoc tali adiutore congregari, ac uiuere: nil uerò tam alienum ab hoc eodem uideri, quàm absq; hoc isto

socio

socio mortalem ac solitariã uitam illũ degere. Igitur hæc duo natura consuta atque coniuncta, si quis dissuere atq; disiungere audeat, quã pœna tandem is, quo etiam supplicio dignus uobis esse uidebitur? Si enim iudicia summæ existimationis, & penè dicam capitis, tria inter homines censentur esse, fiduciæ, tutelæ, societatis: paria enim hæc sunt, fidem frangere, pupillum fraudare, ac in negotio socium fallere, in cæteris rebus potest quis in aliquo horum seorsim offendere: at in hoc isto coniugij uinculo atq; pacto, omnia hæc simul tollat necesse est, qui in uno horum aliquo offenderit. Quæ enim fiducia maior, quæ tutela cautior, quæ societas sanctior cogitari potest, quàm est in his, in quibus non animus tantum est unus, sed etiam corpus, atq; idem est sensus? Nec iniuria. Cum enim Deus ex hac ista maris & fœminæ coniunctione edi genus humanum uellet, nil hac solidius, nil etiam copulatius nobis uoluit uideri: quàm non solum legibus à se latis contra omnem uim humanam muniuit, sed etiam ipsum matrimonium, quod inde sequitur, omnibus laudibus cumulatum nobis æqualiter commendauit: quem ad finem etiam omnia quæ in superioribus legibus audistis, referri, ex sequenti lege intelligetis, quam recita.

LEX.

Benedixit illis Deus, & ait: Cresci-

 te,

te, & multiplicamini, & replete terrã, & subijcite eam.

Hæc lex ex libro Mosis est, unde sunt & aliæ quas recitaui, quam breuiter consideretis. Benedixit mari & fœminæ Deus. id autem est, omnia læta, pudica, tranquilla, casta, atq; legittima, mariq; fœminæq; in coniugio Deus promisit: ut illis meritò maledixerit, infaustaq; omnia promiserit, qui extra coniugium degunt, ac solitarij scortantur. Si enim benedixit coniugio Deus, maledixit certè quidem scortationi: quam fœdam, impudicam, turbulentam, tristem, atq; inquietam, uolebat ex contraria parte matrimonio respondere: quæ scortatio inquam, necessariò consequitur eos, qui extra hoc præsidium coniugij uiuunt: quorum turpitudo atq; infamia nulla ratione corrigi, neq; emendari potest: ut meritò quicquid inde oritur, ducitur q;, id fœdum obscœnumq; habeatur. Neq; uerò scortationem leuat hoc probro, illa Syricij lex, qua is primus excogitauit, quo pacto spurij legitimi poßint reddi. Nam hoc quoque ille ad cætera uulnera Ecclesiæ addidit, penè de industria, ne qua fortè ex parte cum lege Dei uideatur congruere: de quo quidem ipsius non iam furore, sed amentia dicam alio loco iudices, ut hoc uos intelligatis, nil tam sancti in omnibus legibus diuinis haberi, quod suo edicto non uiolauerit Syricius. Nunc ad id quod

quod cœpi, reuertar. Dico Deum matrimonio benedixisse. Hanc autem benedictionẽ uideo ad duo referri: nempe ut legitimè multiplicentur mas cum fœmina, deinde ut hi repleant terram: quæ duo si quis ex matrimonio sustulerit, nil restabit tertiũ, quo illud stare poßit. Quare hoc ipsum satis indicat, matrimonium inter homines ideo esse tam sanctis legibus constitutum, ut castè integréq; uiuendo, certam ex certo thori socio habeamus sobolẽ, quæ uiuat, nobisq; succedat, & quæ ipsam terram legitimè occupet, in eaq; sancto prædita matrimonio degat: in quo posita, omnia illa expectaret, quæ hominum generi legitimo promisit Deus: tum etiam, ut his ipsis præsidijs tutam se sciret esse contra carnis illecebras, faces q; illas libidinum, quibus incensa Sodoma cũ Gomorra conflagrauit. Et profectò aut hoc remedium est ægrotæ ac propè desperatæ uitæ nostræ, carnisq; corruptæ ac cõtaminatæ parentũ uitio, ac turpitudine, homines in matrimonio, cõiugijq; custodia honestißimè integerrimeq; uiuere: aut si ne hoc quidẽ Syricio uidetur, profectò nulla unquã medicina his tot incõmodis nostris reperietur. Nulla salus hominib. maior est, quàm ex præscripto Dei, naturæq; uiuere. Itaque semper hi cõtinentißimè honestißimeq; uixerunt, qui cõtra libidines matrimonio erãt tuti. Cõtrà uerò, qui hoc spernebãt, quæ peccata ac maleficia nõ sunt

sunt experti? Quamobrem ut matrimonium contra omnem imbecillitatem ac infirmitatem nostrã pro præsidio sciremus nobis diuinitus esse datum, ideo Christus Deus & dominus noster, hanc legẽ de matrimonio ita ratam nobis uult uideri, ut nulla ui neq; ratione patiamur nos diuelli, hac ista freti lege, ab eo uitæ socio, sine quo malum esse homini semel Deus edixit. Tu autẽ replica mihi paulisper hunc librum, & hoc ex Matthæo lege.

LEX.

Itaq; iam non sunt duo, sed una caro. quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Hæc lex est quasi quidam superiorum legũ Epilogus: in qua hoc præcipitur, ne quis hominum audeat hanc tantam necessitudinem animorum atq; rerum in matrimonio uiolare. Et cum tot sint leges diuinæ, quas iste transgressus est: tamen nulli apertius uim fecit. Cum enim cæteræ omneis leges coniunctio maris ac fœminæ quanta sit indicent, hæc non solum ipsius coniunctionis meminit, sed etiam interdictum addit, ne uidelicet eos, quos Deus coniunxit, homo separet: hoc autem est, ne quid in hac lege moliatur homo, ne marem cum fœmina conuenire prohibeat, nêue quid ex hac naturali alterius in alterum propensione mutet homo. Et Deus quidem ipse quasi diuinans, imò uerò certò

sciẽs, fore aliquando Syricios, qui Deum nõ metuerent, neq; leges illius curarẽt, dubio procul hũc hominem appellans, tanto antè posuit in interdicto, ne uidelicet eos quos coniunxit Deus, homo, id aũt est Syricius, separet, qui suo edicto hoc interdictũ Dei post tot secula primus abrogauit: dũ quidem edicit, ne ullus homo sacerdos uxorẽ propriã habeat. nêue si habuerit, post ordinationem cubile illius inuadat. Quod quid aliud est, quàm apertè eos quos Deus coniunxit, separare? & illas omneis leges, quas Deus digito suo in nostris membris, atque adeò in nostris uisceribus inscripsit, funditus tollere? quod ne unquã fieret, num parũ uobis in posterum hac ista lege uidetur esse prouisum? quæ matrimonium ita sanctum est, ut unum hominem factum è duobus, Deus nunquam ab homine diuidi uelit. Non probat hoc Syricius, huic etiam lege acerrimè aduersatur: neq; interdicto hoc se teneri putat, quòd suis iniustis atq; impijs decretis funditus sustulit, abrogauitq;. Quid enim est quæso, Iudices, legẽ Dei abrogare, si hoc nõ est leges cõtrarias illi [illegible]rre? Quid uerò aliud est legem Dei tollere, quàm ne ea lege quæ de matrimonio est, utamur, nêue secundum illam uiuamus, edicere? idq; nobis non solum edicto præscribere, sed etiam mortis metu? Sed quid ego huic legi uim nephariam istum intulisse conqueror? cum ille non solum has

has omneis leges, quas recitaui, sustulerit: sed cum plures etiam alias, quas, ne multitudine uobis sim molestus, prætermitto. Illud tamen uerè dicã, quæcunq; leges erant de matrimonio, quæcunq; de pudica honestaq́; hominum uita, eas hic omneis deleuit, abrogauitq́;: cum quibus omnia simul nobis eripuit, pudorem, autoritatem, religionem, grauitatem: deniq; id quod summum inter homines est, certæ cuiq; suæ posteritatis spẽ. Itaq; hoc autore sine uxoribus sumus, sine liberis, sine certis posteris, uagi ac profugi uersamur in terra: amissoq́; matrimonio istius scelere, frustra deflemus, initio rerum omnium matrimonium inter homines esse constitutum: frustra etiam iactamus Chanam Galileæ, in qua matrimonium à Christo honestatum esse accepimus, ac in hominum uita non sine prodigio dicatum. Nil nos maiorum exempla apud Syricium iuuant: nil etiam hæc Græcorum atq; Ruthenorum recentia nobis apud hunc prosunt, quorum sacerdotes hisce legibus, quas recitaui, ad hanc diem uiuunt. Nulla res hũc prohibere potuit, quo minus matrimonium ex Ecclesia Latina eijceret. Perfregit, prostrauitq́; omnia: solus post homines natos est inuentus, qui surdus esset non iam ad leges ipsius Dei, cuius numen uimq́; contemnit: sed ad ipsius uetustatis uocem, in qua hoc semper usurpatum, inprimisq́; sanctum ac legitimum est habitum. Inferte

ferte

ferte oculos in ipsam uetustatem, Iudices, circumspicite omneis illius partes: nil præclarius, neq; sanctius matrimonio in hominũ uita uersatũ fuisse cognoscetis: quo qui sunt usi, siue sacerdotes, siue plebs illi fuerint, honestißimi inter homines, apud Deum etiam gratiosi sunt habiti. Antiqui illi sanctißimi uiri, atq; optimi, quorum meminit uetustas, hoc sibi amplißimum, pulcherrimumq́; putabant, in matrimonio degere, ex eoq́; quàm plurimos filios ac filias procreare.

Enoch illum ueterem, quem sacerdotem fuisse ferunt, & ambulasse cum Deo, & postea non comparuisse accepimus: tulerat enim eũ Dominus. sic ille propagata sobole, & coniunx & sacerdos ex hoc isto matrimonio, quod damnat Syricius, ascendit in cœlum. Neq; enim magis animos hominum res unquam ulla Deo cõmendat, quàm uacare libidine, & matrimonio castum gestare cor. Siquidem soli mundo corde, ut in Scripturis est, Deum uidebunt. Quid Noe? non'ne hic uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum uxore ac liberis ætatem degens? At hic tamen in diluuio illo atroci & acerbo obrutus aquis propterea non est, quòd uxorem, filios atq; nurus in arca secum uehebat. Quid Abraham pater? non'ne omneis promißiones illas tot ac tantas intra matrimonium, nõ extra, accepit? nil obstitit illi Sarra uxor, quo minus

nus

nus ille cum Deo loqueretur, & ex fide tantarum rerum uiueret? Iam uerò Isaac, huius filius, destinata patris uictima, Rebecca uxore non amisit, quin in eo Abrahæ semen esset. Quid Iacob, tot filiorum pater? non is duas pro una uxores habebat, quibus cum uiuens & Israel est appellatus, & terram auo & patri promissam possedit? Taceo huius filios: prætereo alios infinitos, qui in matrimonio placuerunt Deo: ipsum etiam Mosen dimitto, diuinæ legis interpretem, qui in matrimonio positus, ita loquebatur cum Deo, ut loquitur homo cum amico suo. Quid de huius fratre Aaronte loquar: cui ad summam sacerdotij dignitatem atque amplitudinem uxor nil obfuit? Meritò ergo illi in laude, ac in gratia cũ Deo fuerunt: uixerunt enim æqualiter omneis legibus naturæ: crediderunt etiã dicenti Deo, malum hominem solum esse. Cuius spretæ legis pœnas meminerant diluuium, uiderant Sodomã & Gomorrã dedisse: quare cum scirent quàm magnũ onus esset legis, et periculosum, in qua præcipitur, Nõ cõcupiscas, non mœchaberis, non adulterabis, & alia huiusmodi: cumq; sentirẽt quàm essent ad eas res mobiles, quamq; infirmi, diffisi ingenio, quæsiuerunt ista adiumenta naturæ, et matrimoniũ ipsum ceu quendã portũ paratum sibi uidebant, in quẽ se ex iactatione præsentis uitæ reciperẽt, in quo illi secundũ naturã uiuendo domitas

domitas habebant libidines: quibus extinctis uxoris usu, summo erãt officio ac uirtute præditi. Quorum cum præstantiam moderationemq; libidinum sequens admiraretur ætas, nos illorum exemplo ad consimilem uitam inuitat, nobisq; matrimonium æqualiter omnibus ita commendat, ut id solum ac præsidium certum habeamus, cõtra omneis libidines, quas neq; frenare neque domare absq; uxore possemus. Id quod uos multorum sapiẽtissimorum uirorum testimonijs cognoscetis, quæ tu mihi ordine recita: & primùm ea quæ uir diuinus, ac rex sapiens Salomon dixit.

TESTIMONIVM SALOMONIS.

Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatẽ à Domino: qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, &c.

Siste. Auditis Iudices, ut sequens ætas probauerit in utramq; partem uerum esse illud, quod ab initio est dictum, nempe solũ hominẽ malum esse: cui tantum in muliere situm est, ut hæc contueri palàm dicatur ipsius hominis bonũ. Graue est hoc testimoniũ Salomonis, magni in primis & præclari uiri. nam neq; sapientior quisquam rege Salomone fuit, neq; ad libidinem procliuior: ut non solum ratione cognouisse, sed etiam usu uideatur didicisse,

ſe, quantum bonum ſit uxor uiro. Itaq; quòd hoc adiumento à uictu cultuq; ferarũ diſtet homo, ideo (ut opinor) mulierem uiri Salomon appellat bonum: quo bono uitamus omneis illas libidines, quæ ex procreandi appetitu nimio ac uehementi oriuntur: quibus facile à mente abducimur, niſi firmemur, ac intra fines officij cõtineamur hoc iſto mulieris bono, quod nos labi non ſinat, neq; libidine extra præſcriptum ferri: ſed quod hominẽ ita undiq; circumſcribat certo uitæ modo, ut eum qui habeat, non aliquo exili, ſed uberrimo ipſius honeſtatis potiatur fonte: ubi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde uiuum flumen erũpat. Hinc enim uxor, hinc liberi, hinc legitimi ducuntur poſteri: quæ rex ſapientiſsimus, atq; idẽ autor locupletiſsimus Salomon, non ſolum bona, ſed etiam iucunda bona eſſe dicit. Quid enim eſt ſuauius matrimonij fide? Quid iucundius huius iſtius fructu? Iam illa quæ & quanta bona putanda ſunt, quæ nos ex ipſo matrimonio capimus? habere non corpus ſolum, ſed & animum pudicum: non ardere libidine, tenere diſcrimen ſexus, noſſe cognatos, reuereri affines, parcere generi: permiſcuè omnibus non uti, ſed ad unam certam ita applicari, ut cum illa ſola bene et pudicè uiuas, ut ex hac liberos, ex hac legitimos ſperes poſteros, in quibus homo mortalis, reddaris immortalis, uiuasq; in his ac uigeas ſemper.

per. Non hæc grata uobis, Iudices? non iucunda bona uidentur? Non etiam diuino munere hominibus tributa? animo et corpore ſic affici, ut hoc uno adiumento uacare poſsimus omnibus hiſce malis, quibus nos conficit hæc Syricia lex libidinoſa & intemperãs, dum iſto bono caremus, dum ſoli ſumus, dum nullum remedium tot incommodis habemus: & planè ita nobiſcum agitur, quod cum ebrijs ſolet ſcipioni innixis, quem ſi his præripias, cadunt illico, ſtare non poſſunt. Idem nobis accidit, hac iſta uxore prærepta, ſine qua in lubrico poſiti facilè ruimus in uetitũ nephas, & in hæc ſcelera prolabimur, quibus affectus à Syricio iacet nunc ordo noſter: qui in tanta eſt infamia, omniumq; inuidia, ut nil contemptius illo, nil etiam deſpicatius uideri iam queat. Quid ita? quia expulſa muliere bona, Syricius ex ordine noſtro expulit bonum. Ita dictum Salomonis ſapiens, temeritas Syricij comprobauit. Nam ſublato ſacerdotum matrimonio, ad omnia flagitia feneſtram aperuit, per quam in Eccleſiã eſt illapſa fornicatio, inceſtus, ipſius poſtremò Sodomæ atq; Gomorræ concubitus: cuius obſcœnum nomen in ea urbe, cui Syricius præfuit, ita uernaculum eſt factum, ut in familiaribus probris pueri ipſi, puellæq; cynædulos ſeſe appellitent

Atq; hæc à me dicuntur, Iudices, non ut ipſam urbem Romam notatam uelim, quã ego domicilium

& olim summi imperij fuisse, & nunc religionis esse debere profiteor: sed ut perspiciatis Syricianũ scelus quantum sit, ideo hæc à me cõmemorantur, quòd uos ipsi ita se habere uestro nutu atq; hac ista admiratione facile ostenditis, ut inde appareat, uos cùm turpitudinem notæ rei, tum uerò hoc isto dolore atq; gemitu circumstantis turbæ cõmoueri: & in primis infamia cõmuni ordinis nostri, in quã nos Syricius coniecit: qui pulsa uxore, omnia illa bona cum uxore ex ordine nostro expulit, nempe liberos, familiam, pudorẽ, uerecũdiam, lares postremò ipsos, ac deos penates, si ita loqui phas est: pro quibus introduxit scortationem, adulterium, incestum, lupanar, subditos atq; spurios, denique omnem turpitudinem. Hæc nos nũc deflemus, hæc portẽta in Ecclesia Dei uersari dolemus: à uobisq; petimus, ut hoc tantũ bonũ, quo à Syricio priuati sumus, restituatis nobis, cũ cõmodis emolumẽtisq; suis, ut ex hoc bono hauriamus iucũditatẽ promissam à Domino, atq; cũ hoc recuperemus et illa quæ idem rex diuinis ornauit laudibus, quæ tu recita.

TESTIMONIVM.

Mulieris bonæ, beatus uir: numerus enim annorum eius duplex.

Quibus rebus cumulatum sit hoc bonum, quo de in superiore testimonio audistis, hic apertè ponitur. Nam hoc loco uirum beatum Salomon appellat,

mulière bona. Hoc utiq; innuens, summam uitæ humanæ uxore contineri, quæ beatum ita reddit uirum, ut numerum annorum eius sui usu conduplicet. quod quid aliud est, quàm quòd uxor omneis uiri partes absoluit, ac perficit, cum non solum illi fidem præstat, illumq; prole auget, sed etiam suo conuictu, castum seruat à libidine. Tum etiam illa, quæ non in postrema felicitatis parte ponuntur à sapientibus, quòd hæc eadem uxor quasi partito cum uiro imperio, in partem iuuat domum, sustentat familiam, paruos educat liberos: quæ omnia absq; uxore punctũ temporis non stabunt. Ita uxor uiri sui decus, stabilimentumq; est, ut absq; hac nil sit infelicius uiro. Quis enim non dimidiam potius, quàm integram eius uiri ducat esse uitã, cui absq; uxore fluctuat domus, nutat familia, & incerta pro certa subditur soboles? Græci, sapientes homines, Spartã ideo dimidia felicitatis parte carere dixerunt, quòd huic incommodum esset matrimonium. Dixerunt hoc illi, qui cõiectura loquebantur de uero: nos id negabimus, qui non solum à natura accepimus, sed etiam ab ipso Deo didicimus, malum hominem solum esse? Id autem est, quòd absq; uxore, homine miserius sit nil. Absq; hac enim dimidium penè spiritum atque uitam ducimus, tum etiam uagum animum in caduco corpore gestamus, & quasi quodam æstu huius

præsentis uitæ huc atq; illuc uoluimur. iacet sine hac domus nostra: genus etiam nostrum obscœnum nascitur, atq; turpe. Cui malo occurrēs ipse Deus, mulierem ex hominis latere genuit: ex costáq; illā ideo fecit, ut hanc non seruam, neq; dominam, sed uitæ nobis sociam dari ab illo sciremus: qua latus nostrum, hoc est omnis nostra uita sic inniteretur, ut caro ossi, ut moles suo fulcro innititur. Qua sanè ratione quis non duplicari annos uiri uxore putet? quis non felicem cū uxore uirum? quis non eundem miserum absq; uxore ducat esse? cum duplicari omneis uiri partes uxore ita audiat, ut sine hac dimidia uix uiro uitæ restet pars: id quod uos ex sequentibus clarius intelligetis.

TESTIMONIVM.

Mulier fortis delectat uirum suum, annos uitæ illius in pace implebit.

Hoc in loco, Iudices, mulier quam uim in uita habeat, ostenditur. Cum enim uoluptas naturæ sit comes, & quasi condimentum quoddam expetendarum rerum, nō secus quàm dolere est fugiendarum: natura mulierē uiro dedit ceu oblectamentū quoddam pulchrum atq; expetendum, ad quā sese totus homo referat, quam amet, cupiat atq; desideret, ac huic ita sit addictus, ne hac semota, uoluptate nimia diffluat, dilabaturq;. Itaq; hoc naturale bonum eò est, ut libido uiri uoluptate uxoris temperaretur

peraretur casta atq; pudica, ne soluta sit ipsa per se, ne' ue extra coniugij limen quóquam progredi sibi licere putet. Cui rei ut facilius acquiesceremus, multis sanè condimentis natura nobis condidit uxores: cum quidem nil muliere mollius, nil uenustius, nil etiam iucundius ad omne desiderium nostrum finxerit. Potest quis nostrûm, hæc tanta delectamenta naturæ, quæ in mulieribus uidemus, contemnere? in quibus medius fidius (audacter hæc dico) plus uoluptatis, quàm in uiris rationis: plus uenustatis, quàm in nobis est disciplinæ, qua consequamur, quin moueamur non solū uisis, auditisq;, sed etiam cogitatis mulierum formis, atq; figuris: quibus natura tantum circumfudit decus, ut aliud opus naturæ non sit, neq; affabrè factum, neq; uisendum magis, neq; quò plus tota inclinet, seseq; insinuet natura. Non enim in rebus aliud est, quo magis omnis uiri mens commoueatur, quàm ipsius mulieris occursu, in quam obuiam omneis nostri ita feruntur uultus, ut retineri nequeant, ne à sapientißimis quidem, seuerißimisq; uiris: ut meritò ferrei, stupidiq; à philosophis censeantur esse hi, qui obuia hac ista pulchritudine mulierum nō moueātur, & quorum uirgo uisa in intimis non ludit præcordijs. Phryne, scortum nobile, in grauißimo totius Græciæ iudicio capitis rea, cum eloquentia patronorum defendi non posset, diloricata, di-

 ductáq;

ductaq; ueste, pectoreq; nudato, ipsa se defendit. & cum illo candore ac bonitate formæ oculos iudicum perstrinxisset, est absoluta. tantum ualuit natura, tantum etiam potuit in illo iudicio mulieris forma, ut & eloquentia patronorum, & religio iudicum illius uenustati concederet. Verùm hæc nimis longinqua uideri poßint, cum domesticis contentus esse debeam. Parum'ne uobis mulier, quantam uim habeat, in Sampsone ostendit? parum in Dauid? parum in Salomone rege? qui cum nulla ui externa uinci poßent, à mulieribus tamen uicti, captiq; sunt. Potuit Sampson superare Philistæos, amicā non potuit. Dauid quoq;, cū acerbißimos acerrimosq; aduersarios tulisset, unius tamē mulierculæ aspectū non tulit: cuius amore ita desipuit, ut Vriā huius uirū nephariè necandū curauerit, hoc metuens, ne quid fortè de amore ipsius ille interpellaret uiuus. Quid ego nunc de Salomone loquar? qui cùm cæteris omnibus mortalibus sapiētia præstitisset, mulieribus tamē succubuit: quorum amore ita insaniuit, ut & à Deo suo patrio recederet, mulierumq; deos, quas amabat, coleret. Infirmi isti fuerunt, Syrici: firmior uidelicet tu, qui nobis tam æquas leges præscribis: qui nos sine muliere, mulieribus ipsis resistere uis. Ita'ne quæso durus ac præposterus es, ut cum audias tantos uiros in ipso matrimonio mulierum arsisse incendio, à nobis hoc ipsum incendium tantum, tam atrox, tam nocens, sine matrimonio uis restingui? Ita'ne tu nos per ludum atque iocum mulieribus pro præda obijcies? nil nobis reliqui faciens, quo aduersus illarum laqueos atque faces simus tuti? præsertim cum tu ipse, qui contra matrimonium uenis, confiteare, mulierem magnum illectamentum libidinis esse. In quo uide, quàm tibi constes. Nam cum omnium libidinum escam mulierem uis uideri, nil tamen nobis das, quo minus adhæreamus huic escæ, ut adhærent pisces hamo: sic tu in tua lege ueritatem mendacio misces. Neque hoc tamen nimis callidè facis. nam ueritatem ipsi rei tribuis, mendacium uerò Sathanæ concedis, cuius arbitratu legem hanc scripsisti. Quare quam rem ab homine segregarit Syricius, uidetis: eam certè, in qua ceu in quodam cesto Veneris, recondita sunt omnia aduersus libidinem remedia, si illis legitimè utare. Sin uerò secus, ueneficia sunt putanda, ad dementandos homines accommodatißima: quibus quasi Cyrcæo poculo in pecudum, immitiumq; animalium mutamur formas. Quanto enim mulier inferior est uiro, tanto abūdat magis omnibus rebus illis, quæ ad cōciliandos animos uirorum ualēt plurimum: quibus nos ita impedimur, ut etiā si uelimus, tamē nos expedire

expedire ex his nequeamus: & si quando ab illis absoluimur, uitam miseram, inquietam, imperfectamq; ducimus: quam utiq; expleri uxore auditis, ut nulla uitæ nostræ sit pars, in qua securè ac tranquillè ætatem uiro absq; uxore liceat degere. Omnes ergo uiri numeros uxor absoluat, ac perficiat necesse est, si is in omni gradu uitæ celsus esse ac rectus cupit: neq; ex alia re magis laudem atq; splendorem quærat, quàm ex bene culto, seruatoq; matrimonio. id quod uos testimonio eiusdem Salomonis cognoscetis, quod recita.

TESTIMONIVM.

Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata: sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonę species in ornamentum domus eius.

Expectatis à me alias matrimonij laudes, Iudices, quibus refellam legis Syriciæ turpitudinem, atq; infamiam? Non is sum, non ita desipio. Nego quicquam uberius dici posse, quàm hoc est de matrimonio à Salomone dictum. Cum enim is superius uiri bonum uxore definisset, quo solo beatus uir posset dici: & cum complementum uitæ uiri gratum atq; iucundum uxorem posuisset: nunc hoc ipsum quantum sit ostendit. Nam cũ nullo nostro merito, sed Dei beneficio cuncta habeamus gratis: hoc temẽ de uxore ita gratuitũ est, ut facile omnibus

mnibus gratijs antecellat. Quid enim stabile, quid proprium, quid perpetuum nobis fuisset, sine hac? Nõ mehercules quicquam illa ualuissent, quæ propter nos sunt facta, parumq; momenti ipsa per se habuissent, nisi accepisset hoc noster socius atq; particeps. Quid enim quæso nos iuuassent muta atq; inanima, quid etiam motu sensuq; prædita, quibus hanc tuemur uitam? profectò nisi nobis data fuisset uxor, qua consolaremur solitudinem nostram, & cum qua in terris uersaremur, cunctis animantibus inferiores essemus, in quibus nonnulla societas uitæ coniunctionisq; cernitur. Manca atq; inchoata hominis natura fuisset, si nil huiusmodi haberet, quo cum coniungeretur, & cum quo communem hanc uitam spiritũq; duceret. Quamobrẽ si fatemur summã erga nos Dei gratiam in his rebus cerni, quæ propter nos sunt factæ, in quibus præter ipsarum rerum usum nil est nostri: summã certè gratiam confiteamur necesse est, esse uxorem ipsam, quæ imago uiri sui est, cum qua nil potest cõferri. Vincit uxor, ac superat omnia. Atq; huius istius in nos muneris præstantiam cum admirati fuissent ueteres illi, non cum aliqua re mortali, aut humili illud contulerunt, sed cum ipso sole, cuius splendore cum cuncta illustrentur, nil eo à nobis potest uideri diuinius: sic quoq; uxor, quoniam lumen atq; ornamentum domus uiri est, sol quidã ui-

tæ humanæ rectè dicitur: quam qui è uita tollit, nõ is uobis de mundo solem ipsum tollere uidetur, & fœdas atq; cæcas tenebras rebus humanis inducere? densa caligine obruet omnia: cæca, absurda cũcta erunt: nil erit quod uitam hanc ornet atq; illustret cõmunem: horrent enim, ac squalent omnia, uxore, quasi sole, de mundo remoto. Quis huic rei testis est? idem qui acerrimus aduersarius in hac re. Te inquam testem Syrici citabo. Vxore sacerdotibus per te abrogata, dic quæso, qui horror, quæ nox tuam Romam non inuoluerit? quod scelus, quod flagitium usquam fuit tale, quod in locũ pulsi abs te matrimonij Romæ non successerit? atq; ita successerit, ut in honore sit, ut summi, medij, atque infimi hoc ipso ita obligẽtur, ut Romæ scortari sit honestius, quàm in Rußia nubere. Quid est quæso aliud, Syrici, solem tollere? quid nocte inuolui? quid cæcum ferri, si hoc non est? non sexum sibi, non pudicitiam, non thorum clausum cuiusquã putare? Hoc tibi nos debemus Syrici, hoc tuæ legi acceptũ ferimus, quod ipsam urbem Romam, quã domicilium mentis, religionis, atq; sanctitatis maiores nostri esse uolebant, tu nobis tua lege fœdum quoddam lupanar reddideris: quam nunc, te autore libidinum atq; scelerum tantorum, omnes contemnunt atq; despiciunt, & quasi pestem quandã ac contagionem fugiunt: ut iam Romæ non secus, quàm

quàm Sodomæ, Gomorræq; nomen omnes horreant, detestenturq;. Sed mihi ad hanc istius amentiam explicandam alius locus seruatus est, Iudices. Nunc uerò uos ex particula parua cognoscitis legis Syriciæ genus uniuersum. Atque hæc exempla in alma urbe eduntur, non sine diuino consilio, Iudices: ut quemadmodum ueteribus olim fuit Sodoma, sic nobis recens exemplum sit urbs Roma, quæ nunc neglecti matrimonij eas pœnas dat, quas uidetis: ut nos huius admonitu, maturè ex his urbis flagitijs exeamus, priusquam obruamur hac ista urbis pœna, qua affligi atq; uexari urbem Romam ita uidetis: ut ob flagitia deserta à Græcis, relicta à Barbaris, in turpi atq; infami solitudine ipsa per se uitam degat. Nec propter aliam causam, ut dixi, nisi quod solum hominem bonum esse duxit, quòd illam ab initio Deus uetuit credere: nilq; ita retinendum illi censuit contra libidinem, quàm matrimonium: quod ut homo penè coactus amplecteretur, leges dedit, quas audistis, & quas iustas esse in omni hominum memoria est cõprobatum. Quapropter, Iudices, matrimonium æqualiter omneis amplectamur, ut nemo nostrûm, qui illo uti poßit, illud contemnat, sed quisque pro sua parte hoc isto nitatur: ne si fortè spreta uxore cõtra ius naturæ soli uixerimus, eas pœnas Deus in nos immittat, quibus olim Sodomam, & nunc urbem Romam affli-

gi audistis. Tum etiam illa grauiora expectemus, quæ omnium prophetarum ore nobis sacerdotibus minitatur Deus. Vobis uerò hoc à Malachia propheta ad sacerdotes dictum sufficiat: nã eódẽ pertinent & cæterorum. Cedo mihi ipsius Malachiæ testimonium, atq; hoc illius ex secũdo capite recita.

TESTIMONIVM MALACHIAE.

Non respiciam ultrà ad sacrificiũ, nec accipiam placabile quid de manu uestra. Et dixistis, Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quã tu despexisti. Et hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. Custodite ergo spiritum uestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

Hoc ad ipsos sacerdotes est dictum, Iudices: ut causa Syricio iam nulla sit, cur simulare nũc illud uelit, id quod illum dicturum esse audio. Nã ait is, ut aliquis fucus adiunctus sit ad edictum, se hac lege solis hominibus sacerdotibus matrimonio interdixisse. Videte quæ technæ, quæ'nam sint istæ fallaciæ. Quid? sacerdotes homines tibi esse non uidemur? ita'ne exleges sumus, ut non contineamur hac ista communi omnium mortalium lege?

Et uerò Syrici, bona cum uenia extra hoc certamen,

tamen, contentionemq; nostram, illud ex te scire uolo, homines'ne putes esse, quos apparere huic iudicio uides, & in primis hos. qui de se sentẽtiam laturi sunt: quæro inquam, homines tibi omnes nos uidemur esse, an potius ferrum, atque saxa? Ecquid hæres? cur stupes? quid nos aspectas? Aude inquã homines esse negare nos, ut nos te ferrum atq; saxum confiteamur esse, in quo nullus humanitatis sensus fuit, cum hanc legem ferres, qua tu contaminasti iura naturæ, ac dicta Dei profligasti: oracula prophetarum, dicta sapientum, autoritatem omnium neglexisti, mutasti, delesti, dum ad stuprum tibi munis uiã, dum soluis libidines: dũ multis ingenuis, multis matribusfamiliâs hac tua scelerata lege uim nephariam affers. Hæc profectò Syrici ferrei sunt, ac saxei, nõ humani, neq; pudẽtis uiri. Quod si & nos homines sumus, & illa omnia quæ ex legibus cõmemoraui, de nobis quoq; sunt dicta: non est quod nos homines à cæteris hominibus segreges, quod'ue bonum esse nos solos dicas. Et ne tu aliter quàm ego uelim, sacerdotum laudes ingenium, né-ue quid illo tuo castitatis nomine ad speciem magnifico, ad sensum uerò cogitationemq; acerbo, in hoc iudicio tollas, dico: sacerdotibus ita expedire in matrimonio esse, ut cæteris omnibus mortalibus, cùm ipsa lege communi, tum uerò hoc isto Malachiæ oraculo, cuius ore sacrificia sacerdotum hanc ob

ob causam Deus respuit, quòd ipse testificatus sit inter hominem sacerdotem & uxorem eius: quod quid aliud est, quàm quod Deus semel testatus est, nempe hominem absque uxore sol ummalum esse? quo nomime dubiò procul comprehenditur & sacerdos, quem hic huius istius testificationis admonet Propheta. Qui sanè homo sacerdos, si contra hoc testimonium Dei uxorem spernat, illũ quoq; cum sacrificijs omnibus sperni à Deo necesse est: quod is eius uiolator sit fœderis, quo coniungitur mas cum fœmina: de quo nunquam tanta autoritate loquutus fuisset Propheta, si eo sacerdotibus uti non liceret, et si sacerdotes in matrimonio casti nõ essent, neq; mundum gestarent cor, quo solo uidetur Deus. Ex quo apparet, quàm turpe, quamq; periculosum sit sacerdoti, extra hoc matrimonij fœdus uiuere. neq; enim illi satis est alienam non tangere, cõtactuq; ipso non inquinari: sed etiam opus est, ut is uacuum gestet cor omni uisa cogitataq; libidine. quod & si omnibus sit præstandum, tamen sacerdoti in primis: qui quãto præstat cæteris, tanto curandum est illi magis, ne quæ sordes in uita, néue maculæ in animo ullæ illi hæreant: quas utiq; uxor eluat necesse est. Quare ut sacerdos in multitudine castè, integreq; uersetur, quòd is in Ecclesia rationem etiam habet cum molliori uenustioriq; sexu, uxorem habeat is suam necesse est, ne diffluat libidine,

libidine, ne'ue dissolutus sit in turba: quam uxorem inquam, ne quo pacto sacerdos repudiaret, ne'ue sine hac libidinis ambustus incendio in Ecclesia cõpareret, audite quibus illi uerbis mandetur uxor.

Custodite ergo spiritum uestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

Ad uos ô sacerdotes, hic sermo est. Nos monemur hoc isto oraculo, quibus Deus Ecclesiam commisit, ut demus operam, quo casta mens in nobis, libidinisq; sit expers. Quod ne arduum putemus, en datur uxor, en in promptu est remedium. Accipiamus ergo id quod datur, & uel inuito Syricio rapiamus hanc istam uxorem, dum licet. neq; hãc pubertatis adolescẽtiæq; nostræ adiutricem quandã, & quasi ductorẽ amittamus, ut hæc ingenium nostrum infirmum & procliue in libidinem, sustineat, ac in omni officio atq; pietate retineat. Quod si uos Iudices, & uos qui circumstatis sacerdotes, autore Syricio uxores repudiaueritis, si irritum fece ritis pactum hoc, deniq; si testificationẽ ipsius Dei de uxore spreueritis, spernet quoq; uos Deus, respuet sacrificia, non respiciet holocausta, contemnet ac negliget omnia, quicquid illi datum per uos oblatumq; fuerit: id quod oraculo Malachiæ uerißimo atq; certißimo promittitur. Circumstant nos autoritates, quæ nos obliuisci huius testificationis

nis nō sinant, quæ nos dies atq; noctes cōmoneāt, sanctißimos nobis patriarchas, sapientißimos reges, grauißimos prophetas fuisse, qui ex matrimonio immortalitatem sunt adepti. Quare si horum imitatione atq; exemplo manserimus in conditione matrimonij, atq; pacto, si uxorem adolescentiæ nostræ retinuerimus, si spiritum habuerimus uacuum, solutūq; libidinibus, respiciet ad sacrificia nostra Deus, oblationes etiam nostras atq; preces placatus de manu nostra accipiet. Ad hoc nos inuitant omnes ueteres literæ, tum etiam hæ nouæ atq; recētes, quibus omnis illa uetustas illustratur, ut amota dubitatione statuamus, sacerdotibus uxorem dari. hocq; ipsum expedire sacerdoti, ex Epistola diui Pauli intelligetis quam lege.

EX EPISTOLA PAVLI.

Fidelis sermo: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet enim ipsum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem: non uinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentē subditos, cum omni castitate.

Iam

Iam te non Moses, non Salomon, non prophetæ urgent, non etiam lex antiqua, neq; uetus, sed ipse Christus Iesus. Nam & hoc dicere soles, illis antiquis patribus id licuisse, nobis non item. Quasi uerò nos diuersam carnem, non eandem naturā gestemus nūc, quàm quæ in illis olim fuit: & quā ab illis accepimus. imò uerò tanto peiorem etiā Syrici, atque corruptiorem carnem, naturamq́; gerimus nos, quanto ab illis distamus magis. Neq; ego in eo pluribus argumentor: perspicuum enim est, quàm consequens ætas antecedente semper fiat deterior. Sed tamen illud quæro, cur cum eundem Deum nūc esse fatearis, qui fuit olim: cur tibi quoq; non uideatur eius leges eandem uim nunc habere, quam habuerunt olim, cū idem homo, par natura, eadem caro penes nos nunc sit, quæ in patribus fuit olim, cui hæc præcepta, institutaq; dantur? Intelligo quid tibi necesse sit dicere: nempe adumbrata illa fuisse omnia, & quasi signa rerum præsentium. Est uerò ita Syrici, sunt pleraq; modi istius, fateor: sed omnia tamen esse pernego. Virgam, agnum, mannam, & quæ sunt eiusmodi, signa fuisse fateor: sed hoc de matrimonio totum lex est, planum est, res ipsa est. & sicut masculus ac fœmina eadem nunc sunt, quæ fuerunt olim: ita quoq; leges illis datæ eædem sint necesse est. Sed quid ego, quantum hæc lex ualeat, apud uos dico? dubiam rem scilicet pluribus uer-

d bis

bis explico? Est'ne quisquam omnium, qui de hoc aliter existimet? Quod si qui esset ita amens atque cæcus, summa tamen Pauli, imò uerò Christi autoritas, dubitatione omni hunc liberare posset. Etenim si is qui Episcopatum desiderat, magnum atq; præclarum opus desiderat, ut nunc legi audistis: certè hæ conditioneis, quibus Episcopatum habet traditum, planæ sint illi atq; solidæ oportet, ut is sit irreprehensibilis. Quod quoniã præstare non sit facile, datur illi adiumentum ante omnia uxor, cum qua sobriè, ornatè, pudicè, ac hospitaliter in Episcopatu uiuat: sine qua hoc quod illi est propositum, assequi nequit. Domus quoq; ipsius quomodo stabilis absq; uxore? Cum uerò additur de filijs, ut hos is subditos habeat, non uobis apertè Paulus illam legẽ ueterem, quæ de matrinonio est, hisce suis præceptis inseruisse uidetur? ut quicquid in his sit, totum tralaticium sit. Sed huic loco uidete quam calumniam ex sinu suo apponat Syricius: Grauiter sanè, et seuerè, Episcopus (inquit) unius uxoris sit uir. Id autem est, unius parrochiæ. O suauem hominem, ô præclarum legis diuinæ interpretem. En habes, ad quem liberos instituendos mittas, & cui Ecclesiam Dei tradas. Quid ais bone uir? Vxor tibi parrochia hoc loco dici uidetur? Quid quæso uxori cum parrochia? Non umbræ, non figuræ uobis hæc uidentur, Iudices? ut iam non ipsius Mosis, sed cuiusdam

cuiusdam Sphingis sint ænigmata. Ita'ne ex alienissimis nominibus paratus uenis? ita etiam tu nos hic ludificabere, ut uerba fingas, rem euertas tuo arbitratu? Non te pudet Syrici, in horum conspectum ita prodire, ut & illorum iudicio, & nostro tempore abutare? Et si fingere lubet, cur non eadem ratione Episcopatum appellas uxorem, qua appellasti parrochiã? Absurda hæc sunt, inquies. Quid? absurdiora'ne illis, quæ tu mutas, uxorem parrochiam, filios uerò parrochos appellãs? præsertim cum audias, Episcopum hic à Paulo institui uerbis uernaculis atq; notis: ut quemadmodum per sobrium, ornatum, ac pudicum, nil intelligis præter id quod dicitur: ita quoq; per uxorem nil aliud intelligas necesse est, quàm id ex quo nascuntur liberi ac filij episcopo procreati, quos hoc loco Paulus subditos iubet esse episcopo patri in omni castitate. Et ut cognoscas, quàm in clarissima luce erres, audi id quod in eadem Epistola additur:

Si quis autem domui suæ bene præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

Hic argumentari Christum audis ore Pauli, ut si quis domui suæ bene præesse nesciat, eum Ecclesiæ Dei bene nunquã præfuturũ. Ad domũ ergo superiora omnia pertinent, in qua continentur uxor ac libe

 ri, &

ri, & in qua domo uult Paulus Episcopum uirum honoratum, ac honestum patremfamiliâs uersari: ut ex hac ipsius priuata ratione, sit facilis coniectura, quàm sit is ad Episcopatū aptus. Quæ ita clara sunt, Iudices, ut si quis in his hæsitet, illum aut palàm insanire, aut in luce errare sit certum. Quid uerò illud, quod ab eodē Paulo additur de Diaconis, parum'ne nobis inde liquere censes, quid hoc in loco sit uxor? Dic quæso cætera. Pudet mehercule Iudices, tā multis uobiscum agere: sed tamen hic cogit. Lege.

EPISTOLA.

Diaconi sint unius uxoris uiri, qui filijs suis bene præsint, & suis domibus.

Quid domum hoc in loco Syrici, quid uxorem, quid filios dici putas? Insto, peto, urgeo, Syricius ut mihi respondeat, ut aliquid fingat, deniq; ut in tanta rerum luce uel hiscere audeat. Versat se, patronos suos respectat: sed illi ne gry quidem, ut uidetis. Quod si hæc non mouentur suo loco, Iudices, neq; illa moueantur necesse est, quæ paulo antè de Episcopi uxore, ac de ipsius liberis sunt dicta. Quæ ita clara atq; exposita sunt, ut non dici, sed cerni: non uideri, sed tangi uideantur. ut nil ita conueniat cum illa lege ueteri, qua ab initio matrimonium est constitutū, quàm hoc, quod dictum est à Paulo de Episcopi ac Diaconi uxore: ut hæc omnia illius legis ueteris explicandæ atq; illustrandæ causa allata esse uideantur. Qua sanè

sanè lege uixerunt ueteres illi sacerdotes, sancti in primis atque præclari uiri: sic etiam uixerunt nostri tam Episcopi quàm presbyteri post Christum passum, usq; ad Syricij pontificatum. Græci uerò, Antiochæni, atq; Alexandrini, hoc ius matrimonij sacerdotalis adhuc ita retinent, ut Romam adulteram, tanquam stercus in uia contemnant. Quamobrem causa iam nulla est, Iudices, qua Syricius legem suam stare uelit, quam contra omnes leges tam ueteres quàm nouas tulit. Quod si ille quid contrà afferat, impudentiam illius mirabimur, qui intelligentiam existimationemq; omnium nostrûm contemnat. Sed tamen si is, id quod instituit, deprecandi criminis causa dixerit, se non omnibus, sed solis scerdotibus matrimonio interdixisse, hoc illi tū ita respōdete: Nos, Syrici, sacerdotes homines esse scimus, homines etiam ipsi sumus, humani à nobis nil alienum putamus esse, iccirco neq; sacerdotiū ipsum quicquam mutare de humanitate naturaq; nostra potuit, non secus quàm homo in magistratu nil amittit de homine, hoc ipso quòd Rex Consulúe sit: sic nec nobis quicquam de humanitate nostra decessit, propterea quòd in sacerdotio sumus. Præterea Syrici (hoc etiam illi dicite) illud sat memineris, ut non Consuli, neq; Regi, sic nec sacerdoti, uerum homini uxorem à Deo dari: ut illa officiorum sint ac munerum nomina, hæc uerò uxor propria

 sit

ſit uiri. Quare tuam legem nos diutius ferre nolumus, qua tu apud omnes gentes ordinis nominisq; noſtri famam læſiſti. Quando uerò is multa cõqueri, multa miſerari, caſtitatem etiam iactare cœperit, dicite illi, uos putare matrimonium eſſe caſtitatem: deinde, cum legibus planè agendum eſſe. ad extremum, ut cõpendium dicendi fiat, leges illi proponite. Hic lex Dei, hic tua Syrici. Quid multis? Si tua lex hæc cum lege Dei conueniet, abſoluêre: ſin minus, damnabere. Hac ratione conuictus, ne ipſe quidem ſe legem contra omneis leges ſcripſiſſe, negare audebit. Seueritate etiam ueſtri iudicij nõ abutetur, ad ſuum excuſandũ, ornãdumq; ſcelus. ut ita omni ſua cauſa cadat, uobisq; eas pœnas det, quas meruit, & quas leges ipſæ iubẽt. Sed hoc loco illud dicturum eſſe illum audio, quod multi ſolent, qui iniqua ſcribunt: Legem hanc, tametſi etiam contra leges uideretur eſſe lata, tolerabilẽ tamẽ illam eſſe, apprimeq; utilem. Quæ defenſio, Iudices, quamuis ſit miſera, atq; improba (neq; enim id tolerabile uobis, iuratis præſertim iudicibus, debet uideri, quod pugnat cum recto, atq; iuſto) datur tamen huic defenſioni nonnulla uenia tum, cùm ius ipſum læſum utilitate compenſatur, qua omneis ducimur. Verùm in hac Syricij lege nil eſt quod aut tolerabile uobis, aut cuiquã uideri poßit: ita hanc ille legem omnibus legibus aduerſam tulit, ut quamuis omnium ſit iniu-

iniuſtißima, tamen ſi comparetur, pernicioſior multo, atque intolerabilior, quàm iniquior, uidebitur eſſe. Quam rem ut ita ſe habere cognoſcatis, illud à uobis quæram: Si legem eiuſmodi Syricius ferret, ne quis ſacerdotum quid edat, ne'ue quis noſtrûm creſcat, ne'ue dormiat, quæro inquam, ferendam'ne uobis talem legem putaretis? an uerò cum ueſtigio ipſo de medio tollendam? Intelligo quid neceſſe ſit uobis dicere. Quid ſi uos id, quia cum rerum natura pugnaret, nullo edicto proſcribi, nulla etiam ratione à nobis ferri putaretis: quo tandem animo hanc legem ferretis, qua is nobis mulierem eripuit, quam natura dabat, lex nulla negabat, quæ in eadem pagina (ut ſcitis) perſcripta eſt, in qua & eſus, & crementum, & ſomnus ipſe nobis eſt conceſſus? Imò uerò clarius etiam, ſanctiusq; hoc de uxore eſt decretum. Neque enim in his legibus, quæ de uictu hominis ſunt, dictum eſt, Malum eſt homini non edere, aut non dormire, aut non creſcere. At cum ad uxorem eſt uentum, palàm eſt dictum, Malum eſt hominem ſolum eſſe: ut inde conſtet, naturalius eſſe homini uxorem appetere, quàm aut edere, aut dormire, aut etiam creſcere. Nam cibus atque uictus non ſolum eo eſt, ut uiuas: ſed etiam ut gignas, aliquidq; ex te afferas. ita omnia nutrimenta atque crementa huius noſtræ mortalis uitæ, ad

procreãdum referuntur à natura: quæ cum mutari nulla ratione poßint, neq; hoc de uxore, quod magis secundum naturam est, quàm sunt illa, unquam mutabitur. Summi certè homineis, ac totius Græciæ sapientißimi uiri, cum uim, naturamq; rerum perspectam cognitamq; haberent, nil tam insitum, tam impressum in nobis uiderunt esse, quàm est hic appetitus maris ac fœminæ ad procreandum mutuus: qui ita in rebus hæret, ut quæ res illo careat, uideatur esse manca, suæq; expers naturæ, quod nil ex se edat sui. Vnde liquet, hanc uim, qua mulier uirum amplectitur, ita insertam esse, atq; defixam in hominis natura, ut qui hanc è nobis conetur euellere, is hominem ex homine uideatur prorsus euellere. quod cum fieri nequeat, non nos hunc hominẽ furere ac insanire, & cum ipsa rerum natura bellũ gerere fatebimur, qui hanc rem tanta neceßitudine constrictam, atq; in nobis inclusam, eradicare conetur? Neq; uerò autoritas summorum uirorum tantum, neq; ipsius naturæ sola uox nos docent, quàm sit hoc amentis, ei rei manus adferre, quam uiscerũ nostrorum custodia contra omnem uim contexit. Sed etiam ipse Christus Dominus, istius conditor atq; creator naturæ, nos ore Pauli monet, ut sciamus tantam esse huiusce rei uim, ut illa nulla ope humana coherceri in nobis poßit, ne extra præscriptũ feratur, nisi uxore. Nunc uos Christum Dominum audite,

audite, quas leges is ore Pauli huic nostræ libidini præscribat: quàm æquas, quàm tolerabiles, quamq; aptas ad id quod uiolẽtum in nobis uehemensq; esse uidetur. Recita.

EPISTOLA.

Propter fornicationem unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquęq; suum uirum habeat. Vxori uir debitum reddat, similiter autem & uxor uiro. Mulier sui corporis potestatem nõ habet, sed uir: similiter autẽ & uir sui corporis potestatẽ non habet, sed mulier.

Videtis Iudices, quanta uis hæc sit in nobis, cui remedium ab ipso Deo quæritur, quæ nisi colligaretur cum certa coniuge, eã diffluere sit necesse. Animaduertitis æquitatem huius edicti, cum nostræ carni infirmæ, ac procliuæ in libidinem, pro medicina uxor detur, cum qua nobis hic procreandi appetitus sit castus, atq; legitimus: quam dum nobis Syricius eripit, non nos scortationi fœdæ atq; turpi exponit, eas nobis leges præscribẽs, quas nos nullo modo ferre poßumus? Nã cum uxorem ab homine sua lege conetur abducere, non is uobis in fornicationem utrumq; impellere, non apertè uirum ex mulieris potestate eximere, ac solum omnibus tentationibus Satanæ exponere uidetur? cum ea iubeat, quæ ipsa

non fert natura: ea uetet, quæ illa radicitus est amplexa? cui naturæ ita iubemur obedire, ut cum orationi interdum nos dederimus, meminerimus tamē uxoris, ne uidelicet ipsius pietatis prætextu, ipse Sathanas nos tentet, nosq; in eam fraudem impellat: quod ille utiq; in hac Syricij lege tentat, ut absque uxore gratiorē Deo uitam putemus esse, quàm sit ea quæ est obnoxia uxori ac liberis: ut hisce blanditijs nos alliciat ad sese, nobisq; ad omnem turpitudinem abutatur. Hoc itaq; *prouidens ipse Deus, nos monet, ut has tantas insidias Satanæ diligenter, ducta uxore, uitemus: quibus falsò crediti cœlibes capi solent.* Quod *si nos hisce præceptis atq; monitis non obediuerimus, & si æquo animo nobis tales leges imponi siuerimus, per ludum atq; iocum in illa nos Satan deducet flagitia, quæ matrimonij contemptoribus minatur Paulus, istis uerbis ad Romanos scribens: cuius tu mihi cape Epistolam, ac recita.*

EPISTOLA.

Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. nam fœminæ eorū immutauerunt naturalem usum, in eū usum qui est cōtra naturam. Similiter autē etiā masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem

tudinem operātes, & mercedē quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.

Hæc pœna, Iudices, consequitur fornicariam mentem, his furijs agitatur istorū cœlibū uita, dum ementito ipsius continentiæ nomine Syricius eas nobis leges imponit, quæ ferri non possunt: & quæ pugnant cū ea natura, quæ penitus in nobis inest: quæ cum à nobis extirpari nequeat, uidete cuiusmodi curricula habeat, quas etiam læsa pœnas exposcat: non quasuis sanè, sed eas certè, quæ nisi à Paulo *cōmemorarentur, à me honestè nominari nō possent: ut hoc uos statuatis, nullas neq; grauiores, neq; iustiores pœnas in legis huius nephariæ latorem edi posse, quàm sunt hæ, quæ à* Paulo *eduntur. Si enim tu pœnis atq; interdictis contra ius naturæ uirum à muliere segreges, quid est quod tibi pro hoc debeatur scelere, quàm ut apud te in locū uxoris, adultera: & pro muliere spreta, masculus succedat turpis, atq; nepharius? ut hanc tu mercedē erroris tui in te ipse feras, ut hac horribili libidine ardeas, ut liber nunquam quiescas, ut auersus & aduersus impudicus fias?* Intelligo, Iudices, *quàm sint hæc turpia dictu, minimeq; digna quæ in uestro iudicio, & in tanto hominum conuentu dicātur: quæ tamen* Paulus *ipse apud populum* Romanum *tam apertè ac palàm nunquam dixisset, si ea ad odium atq; infamiam*

am eorum, qui harum fœdißimarum cupiditatum
sunt serui, à nobis quoq; cõmemorari noluisset: quæ
tamen à me timidè ac uerecundè dicuntur, ut hoc
uos intelligatis, Syricium eas res in ordinem nostrũ
sua lege inuexisse, quarum non natura tantum ipsa,
sed ipsum nomen etiam dictu, cogitatuq; sit turpe.
Ita ille uerbis honestis atq; pudicis quantam turpi-
tudinem atq; infamiam in ordinem nostrum intro-
duxerit, uidetis: ut facilè constet, hoc illum sua lege
spectasse, ut omnis ex Ecclesia exterminaretur, abo
lereturq; uita honesta atq; pudica, & ut pro hac in
duceretur ea quæ pugnat cum nostra natura. Quid
enim quæso Syrici, aliud sibi tua lex uult, aut quo-
modo contra hominis naturam lata non uidebitur,
cum tantorum flagitiorum, quæ in oculis hominum
atque in conspectu uersantur, causa nobis extiterit?
Si enim de rebus cognatis atq; consimilibus legem
talẽ ferres, ut prius etiam dixi, & nunc repetere li
bet, quoniã ab his ita audior, ut tuum postulat sce-
lus, & horum iniuria. Si inquam talem legem fer-
res, ne quis sacerdotum edat, neq; quis contra edi-
ctum tuum dormiat: quid aliud tali lege nobis præ-
scriberes, quàm ut ne quis sacerdotum spirare, néue
quis omnino uiuere audeat? Nónne huic, quod edi-
cit de uxoribus, simile est? Vos appello Iudices, à uo
bis quæro: non hoc uobis idem esse uidetur, quod is
de uxoribus nostris tulit, dum edicit, ne quis sacer-
dotum

dotum uxorem habeat, néue si habuerit cubile illi-
us inuadat: ac si apertè dicat, ut quilibet sacerdotũ
scortum habeat, alienũ cubile inuadat? paria enim
hæc sunt, eiusdemq; naturæ administræ atq; comi-
tes, hæ istæ edendi, crescendi, procreandiq; faculta-
tes, ita ut, sicut illis duabus prioribus sublatis, uitã
ipsam tolli oportet: sic quoq; uxore sublata, uita ip-
sa pudica tollatur necesse est. Ita ille id quod ego ini
tiò dixi, & quod uos meminisse debetis, legem tu-
lit, in qua nobis aliud ostendebat, aliud uerò com-
parabat. Nam cum uxore detracta, ordini nostro ca
stitatem se uelle inducere ostenderet, ne ulla omni-
no castitas in ordine nostro eßet, curauit. Ita nos il-
le factis, & ad tempus ementitis uerbis decepit, qui
bus nos omni honesta atque tranquilla uita euertit:
quod idem est, ac si nos apertè scortari iuberet. Nã
per deos immortales, quid interest utrum Syricius
imperet, atq; cogat aliquem nostrûm, de coniugio
decedere, uxoremq; abijcere: an huiusmodi edictũ
det, quo edicto nobis in hæc flagitia quæ uidetis,
prolabi sit necesse? Quæ res quoniã calamitosa no-
bis, ridicula Syricio, miseranda omnibus uidetur, so
li ne uos ex omnibus reperiemini, qui hanc legem
tolerandam putetis, tot ac tantis refertam dolis, in-
commodis, atq; probris? Ne hoc sinat Deus Opt.
Max. in cuius cura sumus, ut hæc tanta improbitas
huius legis in hoc uestro iudicio comprobata esse ui
deatur,

deatur. Nō est hoc uestrum Iudices, non hic sermo de uobis, non ea etiā est hominū existimatio, ut aliqua ex parte cū Syricio, opinione omniū iam damnato, cōiungi ulla societate uideamini. Nā qua die in hunc reū cōsedistis Iudices, arrectos esse animos hominū uidetis, cōcursumq́; tātæ multitudinis, qualis in alio publico iudicio nō fuit. Omneis uos intuētur, qua dignitate uiri, quo splēdore homines in hoc cœtu, atq; in hoc publico orbis terræ Cōcilio cōsedistis: nil aliud à uobis (mihi credite Iudices) omnes hoc tēpore expectant, quàm ut Syricij legibus sublatis, quæ nobis non solū intolerabiles sunt, sed etiā perniciosæ, priscas illas leges de matrimonio nobis restituatis, quas aptas cōueniētesq́; esse hominis naturæ, tot malis atq; periculis edocti perspicitis.

Sed hoc loco erigit se: restare sibi adhuc putat, quo hoc cōmentum suū tueatur: nēpe illud quo uulgò istius patroni atq; aduocati uti solēt, precandum uidelicet esse à Deo, ut hi cōtinentes sint, qui esse nequeūt. Deinde, ne sine autore mentiri uideatur, Paulum quoq; scripsisse perhibet, Bonū esse mulierē nō tāgere. Hæc sunt Iudices, et alia modi istius inania ipsius cōtinentiæ nomina, quibus isti continentiā ipsam ex Ecclesia eiecerūt. Quibus ego quid respondeā ignoro. Quid enim huic homini facias, aut quā responsionē dignam libidini eius inuenias? cui præscriptū cū esset, quēadmodū inter homines ius naturæ cō-

ræ cōseruaret, & cū legū diuinarū autoritas, ac ipsius Ecclesiæ ueteris summa dignitas intercederet, ne quid ex hac ista cognatione maris ac fœminæ, in ullo genere, neq; ordine, deniq; in ulla ætate à quoquā mutaretur: ille tamē ausus est pro nihilo tot res sanctißimas ducere, cui nulla lex fuit, nulla religio, nullū exemplū quod sequi uellet. Et cū omniū sermonē existimationēq́; cōtempsisset, uerbis tamē honestis, quibus nulla honesta subest res, usq; eò legi suæ patrocinatur, usq; eò iudiciū autoritatemq́; uestrā contēnit, ut Paulū ipsum autorē legis suæ uobis uelit uideri. quo quid indignius dici, aut fingi potest? In qua tamē re cū multa cōminiscitur, huc ad extremū euadit, ut nō dißimulet legē se tulisse intolerabilē quidē hominis naturæ: tolerabilē tamē illā fieri, si id nos impetremus à Deo. Scriptū enim, inquit, est, Nō poßū esse cōtinens nisi Deus dederit. O inops cōsilij ratio, qua te ualere putas: quæ cū naturā ipsam funditus extinguat, uides tamē quàm te inuito fateatur se id nō posse, quod tu cupis. Legē intolerabilē te ferre dicis, cōtinētes homines esse non arbitraris, nisi hoc Deus illis dederit. quod nō idē est, ac si aperte ita diceres? Ego quidē legē uobis tuli, quā uos ferre nō potestis: sed tamē ut illā feratis, Deum oretis. Quæ technæ quæso Iudices, quæ cōmenta sunt ista? nō uobis Dauus, aut Syrus quispiam in Comœdia ludere, & non pontifex in Ecclesia edicere uidetur? Quid

Quid ais bone uir? tu mihi rem intolerabilem pœna capitis præscribes, & eam modis omnibus ualere apud me putabis oportere, quam tu ipse non esse in potestate mea fateberes? & quam me cõsequi posse ipse non putes, nisi Deus dederit? Quid si ille non dederit? ego edicto tuo afflictus, prostratusq; pereo? An non hoc edictum simile huic est? attendite quæso Iudices: Si me Syricius in aliqua naui in altum duceret, ac in eum locum è naui exturbaret, in quo esset summa ipsius maris, tempestatisq; uis, illud mihi uitam deprecanti pollicens, me quidem tranare æquor non posse: sed tamẽ ut tranare possem, Deum orãdum esse: Arionem nescio quem citharœdum Corinthium, Ionam etiam illum Hebræum mihi proponens, qui aliquãdo ex simili naufragio euaserunt, ut horum exemplo me tranare confiderem. Hac ista tu fiducia præcipitabis me in altum Syrici? Hisce tu exemplis, tantis periculis me obijcies, quæ superari à me non posse, ipse fatebere, nisi Deus dederit? hoc est, nisi delphinum credo aliquem, aut cetum miserit, qui me seruent, ac in portum reducant? Quid si neq; cetum is, neq; delphinũ miserit, quid me fiet, aut quam spem mihi das in tã præsenti periculo? Mittet, inquies. Iã hoc diuinare est, mittet, nec ne. Quid si non miserit? nam & hoc esse poterit. Peribis, inquies. Ita'ne tu nos irridebis? Itáne tibi idonei uidemur, quib. sic illudas dolis? ut cũ

nos

nos in tanta pericula cõijcias, & sine remo (quod dicitur) in mare mittas, nihili facias nos perituros. Quid si doceo, Deum omnino hoc quod tu fingis, mihi non daturum? parum'ne constabit, nos abs te circũueniri? Quid enim Deo responderes, (iam enim tecum loquar, ac si non in iudicio, sed domi ociosus tecum essem) quid inquam Deo responderes, si tibi ita Deus diceret: Ego Syrici non eam uim homini dedi, qua is tranare æquor poßit: naues etiam illum fabricare docui, quibus nauiget. Quare si quis se è naui te autore præcipitauerit, ego illi non adero: neq; delphinos illi, neque cetos mittã, quod is stultè cõtra leges meas insolescat, adiumẽta etiã mea abijciat, quæ ego illi ad tuendã uitã dedi: quod utiq; neq; Arion ille Corinthius, neq; hic Ionas Hebræus fecit: qui cum proditione è naui exturbati fuissent, ope mea sunt seruati: ut tu hoc sis sciens, me adesse ijs qui mea lege uiuunt, neq; extra præscriptum illius quicquã moliuntur: & qui me non tentant, num hoc & illud uelim aut nolim facere. Hoc tibi (credo) Syrici Deus de naufragio responderet, quod nunc quoq; de matrimonio respondet: nimirum se hominibus non dedisse eas uires, quibus fornicationis superare poßint tantum pelagus. Deinde, tanquã nauim periclitantibus, sic uxorem diceret se dedisse incontinentibus, ut hoc sint in naufragio huius uitæ tuti. Quam si quis sper

E nat,

nat, aut abijciat, idē ei eueniet, quod solet illi qui na ui relicta mare tranat, tentans Deum, uelit nec ne uelit opem illi ferre. Et certè ita res est, Iudices. In omni suscepto negocio Deus nos iuuat, nunquā deserit, semper præstò nobis adest in rebus utique his, quæ rectè atq; ordinè, & ex illius præscripto à nobis geruntur. Quod si tu quid præter id quod il le uelit, aut aliter quàm uelit, conêre, nil est quòd ab illo opem speres. Hoc enim agit & Satan ille, qui cū in uertice templi Christum Dominum statu isset, suadebat illi, ut sese deorsum dimitteret. quod tamen Christus Dominus facere noluit, & illo noto uobis interdicto Satanam refellit: Non tentabis Dominum Deum tuum. Erat enim ibi gradus, quibus descendi posset: ut causa non esset, cur se illi pe riculo daret. Idem de uxore sentiamus: qua remota, si quis nos ad continentiam uocet, illud semper habeamus in promptu, Non tentabis Dominū Deum tuum. Ideo enim data est nobis uxor, ut hoc adiumento continenter uiuamus: quam si retinuerimus in matrimonio, nunquam defuturus nobis est Deus: præsertim cum sciamus esse genus hominū, quos Deus non uult extra matrimoniū uiuere, imò uerò non uult illos cōtinenter uiuere. Id quod uos ex ipsius Christi Domini testimonio cognoscetis.

TESTIMONIVM CHRISTI.

Nō omneis capiūt uerbū istud, sed quibus

datū est. Qui potest capere, capiat.

Iam ego non Arione, neq; Iona legem Syricij intolerabilem esse ostendo: sed ipso Christo Domino, qui cum non solum sit conditor nostræ naturæ, sed etiam ipsorum munerum largitor, audistis Iudices, quid is dicat: Non omneis, inquit, capiunt hoc uer bum, hoc est, non omnibus ego do, ut capaces sint huius mei de continentia uerbi: sed hi tantum capiunt, quibus à me datur ut capiant. Quod si omneis caperēt, omneis proculdubio cōtinerent. At cū nō omneis cōtineant, dubio procul nō omnes capiunt. Cur autē non capiūt? quia illis non datur. Cur uerò non datur? Ego nescio: Syriciū quærite Iudices, quandoquidē is nuper cœlo lapsus sciat, quid in aurē Christus uirgini matri dixit heri. Nos qui humi strati sumus, & qui ab hoc scripto, quod recitari modò audistis, non recedimus, nō plus scimus, quàm id quod hoc isto continetur scripto uerißimo atq; certißimo: quosdā uidelicet continere posse, quosdā nō posse. Quare autē istis datū est ut hoc poßint, alijs nō est datū? Eódem redit oratio, Ego nescio. Tu Syrici inquā prodi, nos doce, quādoquidem tu solus hic regnas, solus edicta Dei rescindis, solus ex incontinentibus continentes facis. Vos uerò qui huic causæ sedetis Iudices, hunc quidem ineptire patiamini, si lubet. Nobis autem, quorū caput, existimatioq; agitur, illud de sententia Christi

Domini decernatis, ut qui noſtrûm poßit hoc continentiæ uerbum capere, capiat: & cum hoc poterit, dabitur ei, ut contineat: promiſſum enim eſt. Qui uerò ſolus ipſe per ſe continere nequit, uxorẽ ducat, cum qua contineat: neq; ſpes hunc fallet. intra ſortem enim ſuam degens, id ſperat, quod illum ſperare ſors iubet. Ad hanc rem nos hortatur Paulus ille uir ſanctißimus, idemq; continentißimus, qui cum illud munus ſciret ſuum eßе, ut abſq; uxore uiueret, rem quidem apprimè commodam illam eſſe duxit, ſed ſibi tamen ſoli cum paucis, non autẽ peræquè cum omnibus. Et cum is apertè doceret, non omnia data eſſe omnibus, hoc præceptum in Epiſtola interpoſuit, quod recitari audictis.

EX EPISTOLA PAVLI.

Volo autem omnes uos homines eſſe, ſicut meipſum. Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius uerò ſic. Dico autem nõ nuptis, & uiduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. quod ſi non ſe continent, nubant. Melius enim eſt nubere, quàm uri.

O uirum Eccleſia dignum. Videte qua æquitate, qua etiã moderatione hoc ille nobis præcipiat? quem utinam imitatus fuiſſes Syrici, nunquam tam pernicioſis legibus uitam noſtram iugulaſſes. Omnes

nes homines ſui ſimiles cupit Paulus eſſe. quid ita? quia uacare curis bonũ eſt, cùm cæteris, tum uel in primis his, qui procurationẽ Eccleſiæ ſuſceperũt: quibus utiq; uacui in matrimonio eße nõ poſſumus. Nã uxorẽ habere, liberos procreare, alere familiã, & quæ huc ſpectãt cætera ſuſtentare, non fit abſq; cura ac ſolicitudine. Itaq; ſi bonũ eſt abſq; curis eſſe, bonũ eſt quoq; uxorẽ nõ tãgere, quæ non uacat curis, neq; ſolicitudine: ſacerdoti præſertim, cui Eccleſia mãdatur. At tu qui cõtinere nequis, quid ſuſcipias, quóue progrediare, etiã atq; etiã cõſidera: ne ſi uxorẽ ob curas fugias, in alia grauiora longè incidas incõmoda: ut cũ Paulũ imitari uelis, hoc eſt incontinens continentẽ, illud uideas, ne prius intereas, quàm ullam partẽ muneris ipſius aſſequare. Deniq; illius Icari (ut in fabulis eſt) exitũ uereare: qui alienis pennis uolans, nomen prius ponto merſus dedit, quàm illud tranſmiſit. Iccirco tu, qui aliena continentia fidis, time, ne tua te incontinentia quaſi uentus quidam, quando non ſperas, abripiat, & in hanc Syrtim atq; Charybdim horribilem libidinis atq; incontinentiæ torqueat, ut pro incõtinente ſcortator, pro ſcortatore adulter, pro adultero uerò reddaris uir inter fœminas, & inter uiros fœmina. At bonum eſt, inquies, abſq; uxore, hoc eſt, ſine curis uiuere. Bonũ ſanè, ſed non tibi. Paulo id bonum erat, & quibus hoc cum illo cõmune

 fuit.

fuit. Itaq; ut Paulo bonum erat carere illis omnibus molestijs, quæ secum fert uxor: sic etiam tibi, cui diuersum munus Deus dedit, bonum est, hoc isto adiumēto uxoris effugere illa omnia flagitia, quæ tibi soli imminēt, ut sunt scortationes, adulteria, incestus, Sodomæ itē atq; Gomorræ cōcubitus. Quæ multo grauiora perniciosioraq; sunt, quàm sunt illa quæ ex suo munere incōmoda ducit Paulus, uxorē habere, liberos educare, sustētare familiā: quæ nō incommoda, sed bona potius quædā cēsentur esse à sapientibus. Hæc uerò quæ cōsequuntur eū, qui absq; uxore cōtinere nequit, non mala tantum, neq; incōmoda, sed scelera atq; flagitia nefanda sunt putanda. Quibus ne ardeamus, néue illis inflāmemur, matrimoniū nobis uir sanctißimus, atq; idē cōtinentißimus Paulus suadet, dū quidē satius esse ducit, eū qui cōtinere nequit, nubere, uxorē habere, filios procreare, patrēfamiliâs esse, & illa omnia perferre ac pati, quæ honestā rei familiaris curā sequuntur: quàm ardere libidine, & illis furijs agitari, quæ incōtinentis animū agūt in præceps. At orandus, inquit, est Deus, ut hanc tantā libidinē in nobis frenet, atq; sedet. Si illū orabimus nos, qui continere nequimus, frustra illū appellabimus, Iudices: nunquā exaudiet, nunquā faciet. Quid ita? quia dedit suū cuiq; munus, quod tueri omni ratione à nobis uult: neq; cōmittere, ut nostro neglecto, de alterius

quicq̄ appetamus munere. Itaq; ut illū quē cōtinentem Deus fecit, nunquā uxoriū faciet: sic neq; uxoriū efficiet, nisi cū altero continentē. Vterq; enim horum suo non contentus, alterius abutitur munere: quæ res nunquā cedit bene. Et uerò ita res est Iudices, Deus preces nostras tum exaudit, cum id nos ab illo petimus, quod ille à se peti uult: ut id summū beneficium illius putemus, quicquid ab illo uolente atq; lubēte in nos fuerit profectū. Quod si nos abijciamus id quod nobis ille ultro dat, & id ab eo cōtēdamus quod nō dat, neq; daturū se ostēdit, ut paulo antè audiuistis: quid restat aliud, nisi ut neq; nostrū integrè retineamus, neq; alienum unquā assequamur? Paulus quidē ille, cuius hæc ista sunt diuina præcepta, cū à Satana cæderetur, petebat à Deo ut eo liberaretur: & tamē exauditus nō est, uir talis, at tantus. nec aliā ob causam opinor, nisi quòd munus eius nō erat illo Satana, quicūq; tādē ille fuit, carere. At si Paulus orasset, quod illū utiq; fecisse puto, ne illi Satanæ cōcederet, exauditū fuisse tum absq; dubio illū mihi persuadeo. Intra munus enim suū manens, ut illud cumulatè administraret, petebat: et ideo impetrauit dubio procul, quod uolebat. Idē nobis sperandū est Iudices, si Pauli eius exēplo utemur: quo neq; utilius quicquā, neq; ad imitandū uberius inueniemus, ut recognoscamus ante omnia diligenter ipsi nos, itaq; uideamus ad quā partem

natura nos uocet, ut illā sequamur, illam amplectamur, illam etiam omni ratione tueamur. Quod ut nobis bene ac feliciter eueniat, à Deo petemus: quo is pro ratione muneris, quod largitus est nobis, benignus rebus nostris adsit: ut si is absq; uxore continere nos uelit, ut uitam nostram omni uirginali decore exornet. Si uerò nos ad matrimonium uocat, ut nobis bonam det uxorem, secundos liberos, sospitet familiam, id nos ab eo petemus. Hac nos sanè ratione sola sacerdotes continentes habebimus.

Quòd si uos Syricium secuti, omnibus ex æquo edicetis, ut si uxores habuerimus, ne in Ecclesia simus, ne locis cōmodisq; publicis utamur: quid aliud facietis, quàm ut summam licentiam incontinentiæ nostræ detis? quam cū ferre nequeamus, multo probro ac multo dedecore hāc ipsam uobis cumulemus. Sed cum & Deus ipse, & natura nostra, & cōmunis infamia uos hortetur, ut illa decreta antiqua in Ecclesia ualere sinatis, Qui nō se continent, qui uruntur, qui æstuant, ut nubāt: Syricij quidē legem uos abrogabitis: potestatem autem nobis facietis, uxores tutò ducere ut liceat. Quid enim Syrici, putasti tales uiros, ob calumnias tuas, diutius laturos improbitatem legis tuæ? qui nobis sacerdotē quasi ex syngrapha instituis, & qualis debeat is esse penè ex scripto edicis: nempe sacerdos homo ne sit, ne ossa, ne carnem habeat, ne appetat: deniq; ne

ne edat, ne bibat. Harum conditionum si quæ nobis defuerint, & si humanitatem nostram, uim carnis, ardorē mentis uxore temperauerimus, tu protinus illud quasi ex tripode uociferabere: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: fanda atque nefanda clamabis, deûm atq; hominum fidem implorabis, quòd contra edictum tuum homines nos esse meminerimus: & quòd in carne uiuentes, carnis incendium, uxoris carne restinguamus: Deoq; cum tali ratione, cū secus nō poßimus, placere studeamus. Continuisses, inquies. At me continere nō posse dico, affirmo, & id maxima uoce, ut me omneis exaudiant, clamo: abs teq; coram omnibus qui adsunt quæro, quandoquidem ego tibi notior sum, quàm sim ipse mihi, possene me continere putas, an uerò non posse? Si poße dices, facilè te tot stupris, adulterijs, atq; flagitijs refellam, in quæ tu me per uim ac fraudē impulisti, deiecisti, præcipitasti. Miserū me, Iudices: eóne mihi iā res redit, ut huius libidinē, quanta sit, demonstrare nequeam, nisi in caprius me ipsum confitear fuisse? nec uestras cogitationes extimescam, nec quid uobis audientibus de me occurrat, reformidem? Videte conditionē nostram, Iudices: ac illud cogitate, qui horror, quæ uox ista sit, ut ne deplorare quidem de nostris incōmodis absq; infamiæ confeßione nobis liceat. Quæ infamia tamen satis declarat, quàm perniciosa lex

 huius

huius nobis fuerit, quæ nos uerbo ad cõtinentiã, re aũt uera ad omnẽ libidinem hortatur: nunquam ea præscribit, quæ à me ferri non posse, tot mea docent incommoda. Quæ cũ palàm sint, quid restat aliud, quàm ut me cõtinere non posse fateare: id quod & ego cõfiteor, & isti concedunt. Si igitur ego nõ cõtineo, neq; uerbũ illud continentiæ, quia nõ datur, capio: cur mihi uxorem non das? cur prohibes? cur edictum interponis, ne ducam, ne habeam id, absq; quo continere me non posse uides? Quid hic respondebis Syrici, non solũ mihi, qui hanc causam ago, sed his etiã qui circũstant, & qui exitũ huius iudicij expectãt? qui cũ idẽ sentiant, quod & nos, unum esse tot incõmodis nostris remedium, uxorem nempe ipsam: ab his orãt, ne quid tua lex apud hos ualeat, qua tu non existimationem tantum nostram euertisti, sed etiã domos atq; urbes nostras euersas atq; extersas nobis reliquisti: quæ scortis atq; adulteris per te patẽt, matrib. aũt familiâs tua lege sunt clausæ. Quid inquam his respõdebis, quos uxores flagitare nũc uides? Aut quid obstare dices, quo minus illæ restituantur nobis? nũ nolle hos restituere, aut nõ posse, dices? Si nolle, mirabimur: si nõ posse, causam quæremus, quæ'nã illos impediat. Nũ leges, à quibus hoc nõ permissum solũ, sed etiã iussum est? Num cõsuetudo, mosq; maiorũ? à quibus hoc in Ecclesia usurpatũ semper fuit. Nũ uerò nos ipsi ad eã rẽ desumus nobis? qui à natura ad matrimoniũ sumus

mus

mus facti: & ita facti, ut os, uultus, latera, atq; ipse totius corporis nostri status, nõ aliud quàm uxorẽ ipsam cupere, atq; spectare uideatur: quæ res tantũ apud uos ualeat necesse est, ut si cætera nos deficiant, tamẽ istis adiumẽtis naturæ Syricius à nobis poßit refelli. Quid enim, Iudices, appetitus noster? quid partes corporis ad procreandũ datæ uolunt? Quæ frustra haberemus, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc, Iudices, naturæ summa lex, ut nil temerè fieri, nil etiã frustra nobis ab illa dari credamus. Iccirco nulla corporis nostri pars est, quæ sui muneris sit expers, ne extremus ipse quidẽ unguiculus. Quòd si cæteræ omneis partes corporis munere fungũtur, neq; ulla humana lege ab officio suo excludũtur, qua de causa tãdẽ illa sola ociosa erũt, quæ natura ad procreandũ nobis dedit? quæ res, quæ ratio, uim illã in mẽbris illis inclusam extinguet: illisq; pœna capitis interdicet, ne contactu peccẽt? Nihil est, Iudices, quo quis hãc uim aliò deriuet, q̃ eò quo ipsa natura fertur: nulla lege hæc mutari, nulla ratione auerti potest: in officio aũt cõtineri nequit, nisi uxore: cuius usu circũscripta, sit casta, atq; pudica: hac aũt sublata, serpit in libidinẽ, elataq; uoluptate facile in omnẽ turpitudinẽ delabitur. Quapropter cũ uideatis, uxores et uos restituere nobis debere, et nos illas ferre poße, dubitabitis hac ista nõ minus intolerabili, quàm perniciosa lege abrogata, illã ueterẽ æquã ac omnib. utilẽ nobis restituere?

Quam

Quam iste cū de medio remouisset, uidetis quibus nos affecerit contumelijs? Quis enim quæso nostrûm est, qui magno cum periculo non sit expertus, quàm hæc istius lex ad perferendum grauis, ad probandum difficilis, ad uiuendum uerò incommoda fuerit omnibus? At multi quidem & nostra, & patrum, maiorumq; memoria summi homines, & clarißimi uiri fuerunt, quorum cum tantæ cupiditates essent, ut absq; uxore nulla ratione ab ijs reprimi possent, facilè improbitatem huius legis perspexerunt, & de abroganda cogitauerunt. Et quoniam hæc à me oratio habetur Ecclesiæ eius constituendæ causa: & uos ideo huius causæ sedetis Iudices, ut ordinis nostri existimationem amissam recuperetis: paucos è multis proferam oportet, qui cū in omni genere laudis summi atq; ornatißimi uiri fuissent, hoc tamen sibi deesse putabant, quòd absque uxore nequibant continenter uiuere. Atq; ego hoc faciam Iudices, non quo cuiusquam magni atq; illustris uiri ullum erratū tanto in conuentu proferam: sed ut uos ex summorum uirorum imbecillitate, de nostra quoq; infirmitate statuatis, qui pares illis firmitate animi ac robore nō sumus. Quo in loco præteribo omnes superiores illos, qui primi hac lege Syricij sunt usi: quorum profusæ libidines à me uerè possent nominari, nisi hunc honorē antiquitati haberem, ut etiam uitia cum illa, si quæ tulit,

tulit, sepulta esse uellem. Istis recentibus, quantum ad rem satis erit, erimus contenti. Quorū primus Paulus Secundus, omnibus, quibus successerat, genere, ingenio, uirtute, ac rebus gestis par, cum elogium illud Romæ in se scriptum legisset,

Sanctum nō possum, patrem te dicere possum,

Cum uideo natam Paule Secunde tuam:

illachrymasse dicitur, acerbitatemq; Syriciæ legis cum amicis expostulasse, quòd is qui non solum Ecclesiæ ipsius, sed etiam cōtinentiæ Antistes esse deberet, filiam in ore atq; in oculis ciuitatis cū summo probro uersari uideret: quæ etsi erat eximia pulchritudine, scortatione tamen ab se ortam dolebat existimari: cum legem Dei sciret esse, qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi hic obstitisset. Itaq; consilium illum cœpisse de restituendo sacerdotum coniugio ferunt: quod ille tamē, morte præuentus, exequi non potuit. Quid Alexander Sextus (ut Sixtum præteream) parum'ne is Valentino filio, homine nequam quidem illo, ut scitis, sed tamen filio, ostendit, se in matrimonio patrem fieri potuisse, si illi per hunc licuisset? cum enim Valentini pater matrimonij lege dici potuisset, parentis legitimi nomen istius lege amisit. Sed quid ego horum exemplis utor, quorum memoria cum uita penè iā abijt?

Paulus Tertius, uir clarißimus atq; amplißimus, adest, de te sententiam laturus est: qui cum summa sapientia,

sapientia summaq; prudentia existimetur, illud tamen uerè de se dici putat, id quod literis posteritatis memoriæ scriptum reliquit diuus Paulus. Recita quas is ad Hebræos literas misit.

EX EPIST. PAVLI CAP. IIII.

Non enim habemus pontificem, qui nō possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autē per omnia, pro similitudine. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, et gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Hæc tametsi de Christo Domino scripta sunt, Iudices, tamen de se quoq; hic Paulus Tertius commemorari uult, quē diuina quædam sors dedit huic quæstioni iudicem: ut si aliorum exemplis dubium nobis esset, quas notas, & quæ uestigia scelerū hic sua lege in hominum uita constituisset, hoc tamen recens atq; adeò uiuum exemplum clarissimi uiri, ad condemnationem huic ualere apud uos deberet. Cuius adolescentia summis rebus gestis ornata, cū quo niteretur non haberet, suo lapsu nos docuit, quantum mali istius lex haberet. Qui cum æstum illius ætatis non ferret: necessariò aliundè quæsiuit, quo illum restingueret. Cuius rei testem produxit hunc uirum bello clarum, ac populi Romani imperatorem, Petrum Aloysium, quem uidetis: ut tibi nil

nil sit reliqui Syrici, quo nos illo tuo continentiæ nomine insidioso diutius eludas, cum uideas eū uirum huic quæstioni præesse, qui scit compati infirmitatibus nostris: qui tentatus per omnia nobiscū est: qui de nobis iudices se ipse respectat: deniq; qui omneis tuas calumnias refellit hoc solo Petro Aloysio: quem propter summam illius dignitatem, atq; amplitudinē, qua is inter homines est, dolet in matrimonio editū abs se non esse: cū id nulla lex prohiberet, tua autē sola uetaret. Vnde intelligis, quantū apud hūc lex tua ualeat, qua tu matrimoniū nefariè expugnas. Et ne multa, iam tandem ipse prodi, & in rē præsentē ueni: do tibi horas meas: tēpore etiā, quod mihi ad dicendū datur, abutare si lubet: hos doce, quomodo hic Paulus Tertius, quē intueris, & qui in te iudex sedet, in illo adolescentiæ suæ feruore cōtinere potuit: cū coràm uideas natu grandē filiū imperatorem Po. Ro. huius Alexādri atq; Octauij patrē, quos hic stare cum patre uides, uiros in urbe Roma autoritatis summæ & potestatis, quorū alter diui opera prætor est Trāspadanæ Galliæ: alter uerò summus est Cācellarius Ro. ecclesiæ: quib. auus hic Paulus Tertius nō solū patrē Petrū Aloysiū, sed etiā nomē ipsum Phernesiæ gentis dedit. Parū ne tibi uidetur hac ratione scelus legis tuæ notasse, cū is patri primùm ipsi, deinde ex hoc natis nepotibus, ac pronepotibus (nā & hos habet ex

ex Octauio genitos) honorem debitum generi, nomini ac familiæ Phernesiorum, maxima uoluntate tribueret, idq; beneficio suo liberis suis suppleret, quod tu illis per summam iniuriam ademeras: ut uidelicet nil ad ingenuitatem illis obsit, quod in matrimonio non sunt nati? Itaq; sunt, & quod sperare uideor, semper erunt in Italia summo propter amplitudinem generis, honore, & nomine: neq; uerò soli, sed etiam Anna Aloysij Soror, Pauli filia, fœminaq; primaria, quæ in familiam clarißimam Sanctæ Floræ cum nupsißet, genuit hunc Cardinalem, summum quæstorem Ecclesiæ. Cui ad summã muneris & sacerdotij dignitatem nil obfuit, quod is Pauli Tertij natus sit nepos. Hoc tu tantum genus clarißimi uiri, atq; hanc familiam, cum uideas tam illustrem, tam potentem, tam nobilem, continere Paulum Tertium potuiße dices? qui si olim cõtinuisset, caruißet nunc Ecclesia his tam claris ac honoratis uiris. Iactabis continentiam nescio quã, à nobis omnibus pœnis & interdictis uxores abduces: cum nos te tam notis, tamq; præsentibus argumentis cõuincere poßimus, nos neq; continere, neque uxore carere poße: ita ut quoties tu aliquid pro tua lege contra nos attuleris, toties nos tibi in iudicio Paulum Tertium demonstrare poßimus. qui si legem tuam probaßet, nunquã in familia sua correxißet fraudem legis tuæ. Cuius incommoda quanta

quanta sint, re ipsa est expertus. I nunc, & nos continere iube Syrici: quorum infirmitas quanta sit, Paulus Tertius cùm ex aliorum, tum ex sua infirmitate iudicat. Quod si summi illi, atq; amplißimi uiri, quos cõmemoraui, propter infirmitatẽ carnis uacare muliere nõ poterant, quos utiq; curæ atq; solicitudines rerum maximarum à libidine reuocare poterant: quid de nobis plebeijs sacerdotibus dices, quorum summa est infirmitas, summumq; est ad uxorem ociũ? Et si in his qui summæ rerũ præsunt, & ad gubernacula Ecclesiæ sedent, firmitas ea animorum non fuit, qua tuã legem ferrent: quomodo illam ferremus nos, qui rationem habemus cum plebe, & qui cum ipsis mulieribus necessariò iactamur in turba? Quapropter Iudices, cum uideatis hanc Syricij legem talem esse, quam nõ summi, nõ medij, nõ infimi unquã ferre potuerũt, quid est, quod è re nostra magis facere poßitis, quàm ut legem hanc ex Ecclesia cum uestigio ipso tollatis? Quod cùm cæteris, tum tibi in primis Paule pontifex curandum est: quem non frustra ad summam senectutẽ seruat Deus, non frustra etiam te per omnia tentatum Ecclesiæ suæ dedit põtificem: non frustra deniq; tam numerosam sobolem, tam illustre genus tuum in hoc Concilio adesse uoluit: sed ut (id quod recitari modò audisti) scires compati infirmitatibus nostris, quos uexatos atq; afflictos

Syricij lege esse uides:& ut non solum ratione ser moneq; nostro, sed etiam cogitatione ac sensu tuo uideres, quàm intolerabilis hæc ista lex Syricij esset, quàm contraria nobis, quàm Deo ipsi atq; naturæ aduersa. Quamobrē ut ex tua libidine, non quæ nunc est, sed quæ olim fuit, nostræ infirmitati prospicias, ad te uenimus, ad thronum tuæ gratiæ nos abijcimus, à te opem petimus, ut misericordiā abs te consequamur, & gratiam inueniamus in his tantis miserijs atq; calamitatibus nostris, in quibus & tu fuisti olim, & nos nūc isto autore sumus. Noli Paule pontifex prætermittere hoc tempus, quod tibi datur ad benemerendū de nobis. Neq; est quòd te aliorum exhortentur exempla: satis enim exemplorum tu ipse tibi es, ad omneis nostros casus. Expertus enim es integra adhuc ætate, quàm malum sit hominem solum esse, quàm incommodum sine uxore uiuere, quàm miserum ac periculosum alienam tangere. Id quod tu olim fuisti, nos nunc esse puta:& si fortè hæc tua summa senectus te illa uetera cogitare non sinit, aspice hos filios tuos, filias, neptes, nepotes, & horum liberos: fac isti admoneant te antè exactæ uitæ, ut eo benignior, æquiorq́; iudex nobis in hac causa sis, quanto perspicias magis, tot infirmitatis tuæ nobis adhuc extare exempla: ut uxore per te nobis restituta, offensa existimatio nostra priorem honoris gradū in Ecclesia Dei

recuperet.

recuperet. Nos etiam his legibus uiuamus, quas ferre poßimus: quas cum nobis ereptas esse uideas, curandū tibi est, uobisq́; Iudices, ut primo quoq; tempore restituantur nobis. Quod tùm fiet, cum nobis exemplo, instituto q́; ueteri uxores, liberos, familiam, genus deniq; ipsum legitimum restituetis, ut cū his castè pudiceq́; in Ecclesia Dei uersemur. Præsertim cum id ad summam existimationem iudicij uestri pertinere uideatis. Cū enim parati sint, qui concionibus & legibus inuidiam ordinis nostri inflammare conentur: quid est quod in ipso discrimine ordinis, iudiciorumq́; uestrorum plus ad perniciem nostram ualeat, quàm si hoc ab illis Pop. Romano demonstratum fuerit, uos eas leges cōprobare, quæ Deo primùm ipsi, deinde naturæ nostræ, postremò reipub. aduersentur? Quomodo quæso Iudices hanc tantam labem atq; infamiam sustinere poteritis? Aut quomodo id uerum erit, quod de uobis uultis perhiberi, uos Ecclesiæ personam in hoc Concilio sustinere, constituendæ religionis gratia conuenire, leges perniciosas abrogare, utiles cōstituere? si uos ipsius Ecclesiæ persona abusi, ita notas, ita testatas, tam antiquas de matrimonio leges, irritas iubebitis esse? & si hanc legem Syricij comprobaueritis, cui tā apertè uerbum Dei repugnat, atq; aduersatur? Quis erit omnium, qui uos abuti nomine Ecclesiæ, religionem etiam euertere non

 puteti

putet? Nemo erit profectò, qui autoritate huius ue stri iudicij stare uelit, et qui dubitet alias partes sequi, in quibus bene ac pudicè uiuat, si uos uerbo Dei tā uehementer fueritis aduersi. Nam per Deos immortales, si barbari, homines impij, & (ut nunc loquuntur) pagani, legem huiuscemodi ferrent, qua tanta necessitudo naturæ tolleretur, quis nostrûm non indignū atq; nephariū putaret? Nunc uerò si uos Episcopi, religionis patroni, ac uerbi Dei antistites, legem tam atrocem atq; turpem nobis imposueritis, qua tādem turpitudine, qua ignominia, quanta etiam infamia dignum erit factū hoc uestrum? aut quomodo homines desinent de relinquenda urbe Roma, ac de negligenda uestra autoritate cogitare? In speculis (mihi credite Iudices) homines sunt, obseruant diligenter iudicium hoc uestrum, quantum in eo religio, quantū leges, quantum iusiurandum ualeat uident. Vident adhuc in tanto rerum motu nihil à uobis esse actum, quod pacem polliceatur nobis. Intelligunt ab illo Leone Decimo, ad hunc Paulum Tertium, causam Ecclesiæ ita duci, ut inani spe consilij sæpe ostentata, cætera quæ ad summam rei spectant, in eodem situ iaceant à uobis relicta. Itaq; cum spe delusos se homines sæpe arbitrentur, hoc tamen iudicium solum, ac postremum adhuc restare putant, in quo uos de matrimonio nostro, & illi de uobis iudicabunt.

Quod

Quod si quid à uobis in hoc iudicio fuerit titubatum, desinent homines de alio Concilio cogitare, si hoc uestrum spem illorum fefellerit: quo neq; splendore maiore, neq; dignitate Concilium ullum fuit. Tum etiam facile concedent, id quod multi uolunt, opinione omnium rationem ueritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc uestro ordine abiudicari, si uos nullam rationem earum rerum ducetis, quibus cum ex ordine nostro, religio, fides, integritas, ueritas, deleta atq; sublata est. Neq; etiam homines putabunt, Ecclesiæ constituendæ causa uos conuenisse, neq; M. Lutherum hostem Ecclesiæ propterea iudicasse, quòd incommodis ipsius Ecclesiæ moueamini: sed id quod pleriq; iam dictitant, emolumenti uestri gratia, quod uobis Lutheri seditionibus peribat. Cui enim probabitis, uos uiolati uerbi Dei pœnas ab alijs poscere, si uos ipsi decretis, edictisq; uestris illud delere uidebimini? & si hanc Syricij legem ualere uolueritis, qua ipse, ut iam docui, non leges tantum diuinas, neq; legum ipsarum uerba, sed syllabas, atq; legum ipsarum literas mutauit, extinxit, ac deleuit? Deniq; qua fronte ipsum aspicietis Lutherum, quem ideo cōdemnastis, quòd is contra omnes leges Ecclesiam perturbarit, multaq; in ea mutarit: si uolentibus iubentibus uobis, Syricius tot res sanctissimas sua lege euerterit, si matrimonium ex Ecclesia eiecerit: si scortationes,

 adulteria,

adulteria, incestus, deniq; concubitus uarios atque exquisitos in Ecclesiã introduxerit, non modò uidentibus, sed etiam approbantibus uobis: quis non dicet tum iniquè à uobis damnatum esse Lutherũ, qui harum fœdißimarum cupiditatum grauis aduersarius, aßiduus & acerbus fuit? qui primus in Latio Syricij legem improbatam esse, non solum dixit, sed re ipsa ostendit, cum quidem scortationem uxore ducta fugeret? Nemo erit, credite mihi, Iudices, qui damnatione Lutheri non moueatur, & qui non putet uos Ecclesiã ipsam tueri, non quia illa uobis sit curæ, sed ut hac uos abutamini uestro arbitratu: ut uerum uideatur esse id, quod de uobis uulgo uult existimari Lutherus, quod etiã ille iactare solet, se initiò stultè fecisse, quod uobiscum ita pactus non sit, ut si ille matrimonium sacerdotum non attigisset, & si uiam hanc ad sacerdotia tritã intactã nobis reliquisset: hoc est, si cõmoda nostra integra nobis præstitisset: cætera sanè quãuis sint magna, ut sunt purgatoriũ, diuorum cultus, ac ieiunia, soluta illi eßẽt ac libera. Quæ ut ille falsò de uobis queri uideatur, hodierna die demonstrandũ est uobis Iudices, ut Syricio dãnato, lege etiam illius abrogata planũ fiat, uos Ecclesiam ipsam, non uestra cõmoda in hoc Concilio defendere: ut uitijs ipsis infensi, & Lutherum damnasse, & has hæreses, quæ ortæ iam creuerunt, extirpare uelle uideamini.

Quod cum nobis utile, gloriosum Ecclesiæ, uobis etiam honorificum sit futurum, illud etiam atq; etiam uidete, et diligenter prospicite Iudices, ne quid non tantum in re, sed nec in suspicione cuiusquã relinquatis, uos Lutherum condemnasse cõmodorum uestrorum gratia. Quod utiq; erit, si matrimonium sacerdotum autore Syricio ex Ecclesia eieceritis: cuius autor, patronus, atq; defensor acerrimus, M. Lutherus fuit. Qui si non alio, tamẽ hoc uno uerè posset de uobis gloriari: se ideo damnatũ esse, quòd matrimonio scortationem ab ordine nostro excluserit. Quis enim est, qui tali querela Lutheri non moueretur? cum is ita quereretur, ut certè questus est: Condemnatus sum, quia sacerdotes castè in Ecclesia uersari uolebam: quia matrimonium incontinentibus suadebam: quia ordinem sacerdotalem scortatione infamem esse dolebam. Hæc certè querimonia, Iudices, iusta uideretur de uobis esse: hæc etiam eadem ad omnia uestra decreta omnium aures occluderet. Quid enim quærẽti responderetis? aut quis uos ferret, si ita Luthero quærenti responderetis? Condemnauimus te Luthere, quia matrimonium sacerdotibus suasisti: quia uxorẽ incontinentibus dedisti: quia ueteres leges de matrimonio retulisti. Quæ cũ ita diceretis, nemo uos profectò audiret Iudices, etiãsi omnib. gloßis, paragraphis, atq; ipsis decretalibus pugnaretis. Indignum

 facinus

facinus clamarent: omnes iniquè atq; iniustè Lutherum damnatū esse dicerent. Hæret enim hoc in animis omnium, ac in cōmuni sensu hominum defixum manet, Deo obediendum esse, matrimonium sanctū esse, honestum esse, permissum esse: ut hac tali sententia nil sit hominibus certius, nil etiam exploratius: nullaq; uis ingenij, nulla autoritas potest esse, quæ hanc sententiam nobis eripiat, aut etiam è nobis euellat: ut qui huic aduersetur, neq; audiēdus, neq; ferendus sit ullo modo. Quam rem ita consideretis. Si in Ecclesia Latina mansisset sacerdotibus matrimonium more, institutoq; ueteri, ut nunc manet in Græcia, Alexandria, ac in Antiochia: si illud Lutherus rescindere fuisset conatus, ut nunc conatur Syricius: quid tum uobis faciendum putaretis? taceretís ne in tam præsenti periculo, tantaq; hominis improbi audacia? An uerò potius omnibus pœnis atq; interdictis repelleretis illum ab hoc scelere nefario? furem tum credo, quadruplatorē, scortatorem, ac nebulonem appellaretis Lutherum. Et iurè quidem. Cum enim omnibus legibus remotis, honesta nomina turpißimis rebus imponens, scortationi ad nos aperiret uiā, quid est quod à uobis uerè de illo dici non posset? quemadmodum de Tatio hæretico olim dicebatur. Quem enim luctū Iudices à patribus nostris illū fuisse accepimus? Quo gemitu, quàm graui & acerbo Tatius ille à maioribus

ioribus nostris auditus est, cum is uxores uiris adimeret? quòd nefas eße putaret, hominem uxori coniungi. Si ergo neq; Tatium illum maiores nostri tulerunt, neq; uos ferretis Lutherum, si quid tale ausus fuisset: quid tandem est, cur hoc scelus, quod in alio uindicandum uobis putaretis, uos ipsi admittatis? ut illa omnia probra uicißim à Luthero audiatis, quæ paulo antè in Lutherum à uobis dici posse ostendi? Ne hoc sinat Deus Opt. Max. ut uos principes Ecclesiæ, patroni, atq; duces, ad uos hæc recipiatis, & ita Syriciæ legi locum apud uos detis, ut illa probra in uos redundent, quæ redundarunt olim in Tatium: aut redundare potuissent in Lutherum, si quid tale in matrimonio moliri ausus ille fuisset. Verùm cum & Lutherus à uobis damnatus sit rerum capitaliū: & uos in hoc iudicio nil quæritis, nisi ut existimationem ordinis nostri amissam recuperetis: detis operam, ut exterminetis omnia hæc incōmoda, quæ in Ecclesiam Syricius introduxit. Ita uerè uidebimini et mala Lutheri damnare, & bona nostra recuperare, hac lege abrogata, qua is uos decepit, ordinemq; nostrum circumuenit.

Sed hoc loco occurram tacitæ uestræ cogitationi, quæ mihi obloqui uidetur. Quomodo Syricius, Pōtifex Maximus cum esset, & cum certis legibus Ecclesiam gubernaret, tam improba lege, tā atroci edicto nos circumuenit? Est hoc quidem monstri

simile Iudices: sed tamen circuuentos nos esse uidetis neq; sanè id uafrè, neq; maliciosè ab illo est factum: sed cum ille esset cum summa potestate, opinio autem huiusmodi in Ecclesia temporibus illis uersaretur, de edicto Pontificis Romani iudicare nulli phas esse, Pontificem supra Concilium esse, in eius pectore conditum ius esse: illius omneis, illum nullius iudicio stare: à quo qui dissentiret, hostem iudicari, ac in sceleratorum sedem certò mitti: itaq; istis sententijs Syricius in pontificatu electus, cum uideret beneficio Constantini ingentes pecunias ecclesiæ uenisse, quòd uerebatur ne illo sacerdotum matrimonio, quod tum cuncta in Ecclesia legittimum erat, redirent eò unde illæ uenerãt, hanc legem tulit, qua ille sacerdotes non coniugio tantum, sed etiam legittima posteritate priuauit. Nam quamdiu honos paupertati in Ecclesia Latina fuit, tamdiu sacerdotes matrimonio sunt usi. At postea quàm paupertas pecuniæ cessit, cum auaritia hac ista hianti atq; imminenti, luxuria quoq; in Ecclesia influxit, cuius neq; finem ullum neq; modum uidemus. Hanc ergo legem cum pontifices minores, sacerdotes item omnes insidiosam esse, atq; nephariam iudicarent, primi tamẽ Itali illam receperũt, quòd minimè liberi, minimeq; iuris sui sint, utpote pontificis Romani potestate ac ditione undiq; conclusi. Germani uerò nunquã probauerũt,

Hispani

Hispani autem multo minus. Græci uerò funditus repudiarunt, quorum semper fuit prudens de rebus Ecclesiæ, synceruṁq; iudicium, nil ut poßent, nisi incorruptum, ferre, & elegans. Itaq; cum hãc legem repudiarent omnes, probaret nemo, hic homo omnibus pœnis exarsit, atq; interdictis, autoritatem suam negligi: illas etiam sententias, quarum modò mentionem feci, agi dicebat: non diem, non noctẽ interim remitti t Græcos anathemate ferire, Germanos interdictis terrere, qui Maguntiæ magno clamore atq; concursu istius legatos hac de re ad se mißos uiolauerunt. Apud Hispanos etiã instat, orat, minatur, quò legem latam recipiant, ne si reciperet nemo, non uerè illud de ipso dici uideretur: Quicquid solueris, erit solutum. Hoc ergo metuens, negocium non differebat. At cum neq; terrore, neq; lege ulla aßequeretur, ut homines legem ipsius, institutumq; sequi uellent (quid enim tam nouum non solũ re, sed genere ipso fuit, quàm id iubere, quod etiam si homines tacerent, res tamen repudiaret ipsa per se) magnitudine tamen potestatis perfecit, ut hæc lex illius à solis Latinis reciperetur. Nam cæteri omnes, quorum sunt Græci, Alexandrini, atq; Antiochæni, in eo sanè liberi fuerũt, non receperũt. Quid enim quæso reciperent? aut quomodo iustè non repudiarent talem legem, quã Ecclesiam euerti uidebant? Constituitur ergo uix

tandem

tandem aliquando, in solo Latio, hæc lex acerba, & misera, & grauis toti Latinæ Ecclesiæ, quã non uoluntate, non suffragio, deniq; nõ scito communi tum Latini susceperunt: sed imperio, metu, ui, malo adducti impositã adhuc pertulerunt. Quam tandem calamitatem hanc putatis fuisse, Iudices? Quid lachrimarum ipsos sacerdotes tũ profudisse? quem fletum totius Ecclesiæ fuisse? quẽ luctũ & gemitũ parentum, atq; maritorum? uxores è uirorum amplexu, liberos ex sinu parentum euelli, atq; eripi propter huiusce legis nequitiam, atq; improbissimam cupiditatem? Quæ malùm ista' fuit amentia? Bellũ'ue sacerdotes illi Deo facere conabãtur, Ecclesiam'ne euerterant, phana spoliauerã, sacra prophanauerãt, ius ipsum postremò diuinum uiolauerant, ut illorum factum, liberorum sanguine, atque uxorum exterminio lui uelles? Icciro'ne tibi illa potestas data fuit, ut tua ui atq; crudelitate uiri uxores, liberi parẽtes suos amitterẽt? Tantæ'ne tuæ Syrici pecuniæ erant, ut cum illarum retinendarũ gratia eas leges tuleris, quas capere ac sustinere nõ potuimus: tu, nisi ad nutum tuum præsto tibi fuerimus, aqua & igni nobis interdices? euertes domos, bona publicabis, nos etiam ipsos, uxores, ac liberos nostros abripies ad supplicium? ut nulla ratione crudelitatem tuam à nobis, uxoribus ac liberis nostris propulsare possimus? Idq; cum feceris, legitimè

timè, & ex præscripto sacrorum Canonum facere te dices? Græcos schismaticos, Germanos hæreticos, rebelles Hispanos pronũciabis, quòd dicto tuo audientes non sint? quorũ nemo tum legem tuã probauit, imò uerò omni ratione illi tanquã tempestati uenienti omnes obstiterunt. Nam quæro abs te, uiolarint'ne legatos tuos Maguntini? cõtempserint'ne interdicta tua Hispani? defecerint'ne à nomine Latino Græci? negare non potes. Habeo enim testimonium Græcorum, ac illorum in te decretũ. Habeo etiam quæ in Hispaniam interdicta misisti. Recita hoc testimoniũ Græcorũ, & illorũ Decretũ: tũ etiã eas literas, quas is ad Hispaniæ Episcopos misit.

EPISTOLA. TESTIMONIVM. DECRETVM.

Auditis Iudices, ut maritorum sacerdotum bona in Hispania publicentur, atq; Græci se per summam contumeliam à Romanorum nomine abalienatos esse querantur. Qui utiq; motus rerum nunquam factus fuisset, nisi edictum istius nouum, & perniciosum esse omnes putarent: ut quiduis esse perpeti satius ducerent, quàm in tanta ui atq; acerbitate uersari: qua iste omnes leges sustulit, atq; irritas apud omnes iussit esse. in cuius lege cum nullum pudorem, decorum nullum, summam autem libidinem atq; turpitudinem homines inesse uiderent, meritò illam tanquam contagionem quandam horrebant

rebant omnes. Cũ enim à maioribus traditum ità accepissent, à diuo etiam Paulo illa didicissent: Ho
» norabile connubium in omnibus, & thorus imma-
» culatus: fornicatores enim, & adulteros iudicabit
» Deus: nil tam pugnare cum ipso Deo, quàm istius legem putabant. Quare pro se quisq;, ut in quoq; erat autoritatis plurimum, resistebat huic legi: ad extremum inuentus est nemo, qui aut apertè legem hanc nõ sperneret, aut nõ acciperet inuitus. Quapropter cum iste uideret, quantos motus sua lege concitasset, quòd illam acerbam omnibus atq; aduersam esse uiderat, ut illius acerbitatem temperaret, & quasi tantarum rerum iacturam compensaret, audite cuiusmodi postea legẽ is tulit, qua lenire offensas omnium mentes, & collapsas erigere, ac nobiscum in gratiã redire uelle uidetur. Cape hãc legem, quam is pudoris oblitus, de concubina tulit. Recita.

LEX DE CONCVBINA.

Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à cõmunione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut concubinæ sit coniunctione contentus.

Proh sancte Iupiter, ubi gentium sumus? quam tandem Ecclesiam habemus, cui tales leges à Syricio dantur? Non uobis media in Sodoma dictaturã gerere,

gerere, ac in conuentu meretricum ac lenonum cõscribere has istas leges uidetur? quæ nobis nõ occultè, sed apertè & palàm pro matrimonio scortationem, pro uxore dant concubinam. In qua tandem urbe pontificatum te gerere putasti, ut nobis honestißimas ac pudentißimas leges eriperes, & has fœdißimas, flagitiosißimasq; imponeres? Sodomitis'ne te, aut Gomorræis, hominibus scelestis, leges has ferre putasti, & non nobis, quorum corpora templum Dei sunt: quibus nil tam est aduersum, quàm est ipsa fornicatio? Deinde non sentis, in quos te laqueos inducas? Cum enim sacerdotem absq; uxore ideo uelis esse, quòd illum continere solum posse putes: cur etiam eum, cui in uxoris locum scortũ subdis, eadem continentiæ lege nõ comprehendis? cur das concubinam? cur absq; hac hominem continere non uis itidem, ut absq; uxore uoluisti? Aut si concubinæ usus legittimus nobis est, cur uxoris non sit, causam abs te quærerẽ, nisi ita esset nota, ut te muto, ipsa tamen per se loqueretur. Cum enim erepta uxore uideres, qui dolor, qui mœror omnium mentes atq; animos occupasset: et cũ ipsius naturæ uox atq; clamor obrueret te, homines absq; muliere cõtinere non posse: & ne hac illis in uniuersum negata, in uetitos sexus, ac alienum genus prolaberemur: ideo tu homo castus atq; sanctus, nos lugentes consolatus hoc isto scorto es: quod ne horreremus, mitigasti

mitigasti in eo asperitatem meretricij nominis, dũ quidem illud concubinam appellasti, ut hac ratione uidelicet gratior nobis te autore ipsa redderetur scortatio, cuius dulcedine adimeres nobis omne uxoris amissæ desiderium. & ne id alienum esse à Christiano nomine uideretur, ideo etiam alia lege nobis Christianis scortum sancis. Atqui ut omnes intelligãt, quanto furore hic in Ecclesia Dei sit uersatus, legem hanc illius aliam proferam, in qua ipsum ganeum, ac ipsum lupanar prorsus inclusum esse audietis.

LEX DE CONCVBINA.

Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorẽ, aut certè loco uxoris, si cõiunx deest, cõcubinã.

Videtis Iudices, ut techna technam irudat, posuerit superius uniuersè de his qui non habent uxores. Nũc, ne fortè infinitè loqui uideatur, ponit generalẽ: & addit, Christiano homini. Ne barbaris, aut paganis illũ leges dare putetis, Christianis se dare profitetur. Deinde, ne ipsos sacerdotes in sua lege præterire uideatur, cautè sanè illud addit, Aut certè loco uxoris, si cõiunx deest, habeat concubinã. ut sacerdotẽ innuat, quẽ scit sua lege absq; uxore esse. O cœlũ, ô terra: clamare nunc illud Iudices lubet, dum tantam turpitudinem, tantumq; scelus

in istius legibus perspicitis, in quibus matrimonium ipsum scortatione exæquatur: & in quibus omnes illæ sanctißimæ connubij leges, scortationis legibus non solum pares fiunt, sed etiam illis cedunt. Atqui ego nõ dubito Iudices, quin ut mihi, cui pudicitia maximè cordi est, res hæc acerba uideatur, atq; indigna: sic unicuiq; uestrûm, qui simili sensu atq; specie honestatis cõmouemini. Quid enim natura nobis cõmendatius, quid dignius esse uoluit, in quo omnis diligentia nostra consumeretur, quàm ut honestatem cum uerecundia omni nostra ope retineamus in uita? Homo omnium impudentißime, cur tantam iniuriam matrimonio fecisti? cur hunc dolorẽ Ecclesiæ inußisti, ut nobis uxores, liberos, familiam, omnibus legibus traditam eriperes? ut scortationem matrimonio exæquares? Tu ne impunè hoc facias? ita ne huc paratus uenis, ut uxoribus remotis, meretricios amores nobis conglutines? perficiasq;, ut desiderium uxorum meretricũ cõmercio leniamus? Ne uxorem, inquit, sacerdos habeat: néue, si habuerit, cubile illius inuadat. Eripies igitur ex sinu meo uxorem, quam natura ita sum amplexus, ut absq; hac uitam acerbam putem?

Non est, inquit, quod querare. En tibi à me scortum datur: & si te una lege læsi, alia id tibi suppleui. Nam ita iußi: Habeas loco uxoris, si coniunx deest, concubinam. O cœnum, ô portentum in ulti

mas terras deportandum. Ita non dico decernere, sed cogitare omnino ista tibi fas fuit, ut tãta obscœnitate non iam rerum, sed etiam uerborum, omnium, etiam improbissimorum aures offenderes? idq; in tua lege perscriberes, quod post homines natos nemo tã improbus est inuentus, ut scriberet, ne in ipsa quidem urbe Sodoma, in qua summa fuit peccatorum stuprorumq; licentia. Miramur ab isto defecisse Græcos? Miramur Ecclesiam illam, non nomine tantum, sed re uniuersalem, nunc solis penè finibus Latinis censeri: cum antea ijsdem, quibus orbis terræ, finibus censeretur? Vbi sunt Græci, quos à maioribus acceperas? ubi Alexandrini? ubi Antiochæni, Syrici? Nusquam comparent, repulsi à Latino nomine, tua iniuria, alienatiq; omneis sunt: qui tamen ante te pontificè in fide atq; in amicitia Romana manserunt, & Ecclesiam ipsam catholicam cum Latinis æqualiter defenderunt. At cum tu contra leges Dei insolesceres, tuaq; edicta uerbo Dei anteferres, discessio hæc est facta, ut parteis fierent: & alia Orientalis, alia Occidentalis Ecclesia abs te diceretur: sic enim iste in suis decretis queritur: Orientalem Ecclesiam uotũ castitatis non suscepisse. Propterea ne tibi Orientalis repentè esse cepit, quòd continentiam suam, tua incõtinentia permutare noluit? quòd uerbo Dei contra tuum edictum paruit? quòd tibi non obediuit, cũ tu

Deo

Deo obedire nolles? Augustini est: Indignũ uideri ut ei obediat minor, qui suo nõ obedit maiori. Quare cum tu Deo nõ obedias, sed illi apertè resistas, cur tibi homines obedire uelis, causam memora: præsertim cũ tu Syricius, nõ Paulus: Romæ natus, non cœlo ortus esse uideare. unde etiam si esses, tamen tibi palàm Deo aduersanti, non obediremus. Quis enim unquam tam palàm de iusto, tam uehementer de honesto contendit, quàm tu, atq; subscriptores tui, ne nos mandato Dei uiuamus? Deus dat uxorẽ, tu prohibes: leges sinunt, tamen te interponis. E rebus omnibus hãc nobis ita Deus dat, ut ab iure nostro non recedat: tu tamẽ uoluntatem Deo, uxorem nobis ita eripies, ut quicũq; tibi edicto audientes non sint, hos tu hæreticos, hos schismaticos, hos deniq; ethnicos (si dijs placet) appellabis: proscribes Græcos, eijcies Alexãdrinos, damnabis Antiochænos, quòd hi mandato Dei uxores quàm scortum malint. in nos etiã, quos diuina sors adhuc Latinos facit, ita sæuies, ut conscribas exercitus, effundas ærarium, Italiam in Germaniam immittas: ut expugnentur sacerdotum domus, ut liberi ante ora parentum, parentes ante liberorũ mactentur, iugulentur, extinguantur? Et cum nos miseri atq; calamitosi, desperatis omnib. legibus, nos nõ teneri tuis tã atrocibus edictis dixerimus, protinus nos cum ipsis Græcis, Alexandrinis, atq; Antio-

g 2 chænis,

chænis, hoc est, cum ipso terrarum orbe in scelera-
torum insulas deportãdos curabis? Bona, fortunas,
ac sacerdotia nostra inter scortatores tuos diuides:
solos catholicos illos (si dijs placet) solos continen
tes, solos etiam obedientiæ filios appellabis? Id
quod tu non in Germania solum, uerumetiã in Po
lonia fecisti, cum uiro clarißimo, summo ingenio,
summaq; nobilitate prædito, Ioanni Laski, am-
plißima sacerdotia propter ductam uxorem eripe
res. Tu uerò consurge nunc quæso Ioannes Laski,
perfer hunc dolorem cõmemorationis necessariæ.
Hoc homine, Iudices, quem nũc in squalore miserũ
atq; calamitosum uidetis, neq; uir melior quisquã,
neq; nobilior in Polonia fuit. Qui cũ illustri gene
re ortus esset, fratrẽq; Hieronymum summis rebus
gestis ornatum, ac omnibus laudibus cumulatum
uirum: atq; hunc Stanislaum, ordine, existima tio
ne, uirtute præstantißimum senatorem cum ha-
beret, nil tamẽ illi profuit genus, nil fratres, nil auo
rum maiorumq; memoria: nihil etiam Ioannis Las-
ki Archiepiscopi Gnesnensis recens recordatio,
quo minus ille ab hoc omnibus fortunis propter du
ctam uxorẽ euerteretur, patria priuaretur, ac om
nibus ornamentis spoliaretur. Hem mi Laski, tu'ne
es illius Ioannis Archiepiscopi nepos? Tu'ne ille in
omnes tuos liberalis? Cuius multos bonitas locu-
pletauit? in cuius uita nullum flagitium unquam,
nullam

nullam libidinem quisquã notauit? Quod tuum sce
lus, quod peccatum tantum fuit, ut & patriã amit
teres, & in ijs miserijs esses, & hi tecum, quos mu
tata ueste consurrexisse uidemus? O miserum, acer-
bumq; nobis conspectum tuum. Ecquid'nam quæ-
so tantũ de te meruisti? Cui tantũ de te licuit, ut tan
to malo plecterere? Vxoris causa ait se hoc pati. Ni
hil'ne præterea? Nihil uerò ait esse. In hoc'ne tu ho
mine statuisti eiusmodi exemplum, quod cùm pro-
pter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis
dignitatem acerbum omnibus, atq; intolerandum
uidetur? Est'ne hic Laski? Qui in Polonia maxima
sacerdotia facillimè cum adeptus esset, amplißi-
mè atq; magnificentißimè geßit? qui Poloniam lite
ris, monumentisq; plurimis ingenij sui decorauit?
de cuius ingenij ac uirtutis præstantia, ERA-
SMVS primùm ille, deinde omnes docti certa-
tim scripserunt: & istius nomine ornari libros su-
os, ac posteritati mãdari uoluerũt? Est'ne hic Las-
ki, qui apud Sigismundum, clarißimum uirum, ac
sapientißimum regem, magnus Secretarius fuit? po
stremò, est'ne hic, qui à Francisco Galliæ, ac Ioan-
ne Vngariæ rege sæpe accersitus, sæpe summis ho-
noribus dignus est habitus, & ita habitus, ut illum
inuidere Sigismundo, ac ipsi Poloniæ regno uide-
rentur? Hunc'ne tu, talem ac tantum uirum, tanta
nobilitate præditum, atq; dignitate, attingere, &

In hunc squalorem conijcere ausus es? & hos cum illo, quos flentes ac sordidatos uides? idq; nulla alia ipsius de causa, nisi quod is mulierem, quam habebat, interrogatus abs te, uxorē esse respōdit? Quid si hanc eandem scortum dixisset? retinuisset patriam, bona, ac fortunas suas. Ita opinor, nam hoc illi tua lege licebat: neq; uerò negare potes, te scortum illi permissurū fuisse, si quid ille confiteretur. Ostendisti enim in alijs, quid Laskio sperandū fuerit, quibus sacerdotia illius diuisisti: quos tacitos confiteri, & ipsos in illo loco uides: quibus cum mihi & amicitia uetus, & hoc ipsum quod Laski negauit, commune est. Itaq; Iudices, errore hic suo miser est: & quod pleriq; in eo desiderant ridiculi homines, cū stomachantur, nesciuisse illum literas, dum de illa muliere quæreretur. nam si interrogatus respondisset, Scortum est: rebus omnibus nunc potiretur saluis. At quia respondit, uxor est: uidetis, hisce duabus syllabis de quantis rebus décidit. Hic tamē ego scire ab illo peruelim, aut hæc Laskij mulier scortū illius, aut uxor fuit? Si uxor, sacramentū hoc magnum est: dissoluere noli, abstine manus ab hoc scelere nefario. Si uerò scortum illa fuit, aut segreganda tibi ab isto fuerat: aut certè, id quod tuæ sacrosanctæ leges uolunt, illi cum sacerdotijs permittenda, ut illi tantas res amittere non esset necesse. Expecto quid uelis: hæret homo, auersatur, rubet:

at non hic Laski tanti fortunas suas facit, Iudices: neq; se ita à me defendi uult, ut uxorem suam castissimam fœminamq; lectissimam, scortum dici uelit. Vxorem esse palam profitetur. Quam ideo dicit se duxisse, ut scortis secundum leges istius ne uteretur, néue scortaretur amplius. Idq; se beneficio huius istius suæ uxoris assecutum esse testatur, ne in scortatione aut adulterio moreretur: quam etiam uxorem angelum diuinitus sibi missum appellare solet, quæ illum porrecta ac data manu ex hac ista legis tuæ eduxit Sodoma, prius quàm super illam plueret Dominus sulphur & ignem de cœlo. Idcirco maluit omnia amittere, quàm tua lege uiuere. Itaq; in Polonia primus est inuentus, qui dijs hominibusq; approbantibus, periculo capitis, & omnium fortunarum suarum iactura, tuæ legi restitit, uxoremq; duxit: ob quam etiam causam ex locupletissimo pauperrimus, ex pecuniosissimo egentissimus factus, sola conscientia præclari facti se sustentat: & illud simul sperat, quoties uos intuetur, quoties quemq; uestrûm recognoscit, se in hoc uestro iudicio bona, parentes ac patriam recuperaturum. neq; uerò metuit, ne hic homo ab omni non modò honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, aliquid illi ad recuperandam pristinam dignitatem apud uos obsit. Nec uos hoc illi, nisi obliuisci uestræ mansuetudinis uolueritis, negare diu-

tius potestis. In hoc enim homine cōstituatis, quan
tum sibi de uobis reliqui, qui simili malo à Syricio
sunt icti polliceri debeāt: qui huius iudicij exitū ex
pectāt, atq; ita expectāt, ut si in hoc Ioanne Laski
spē nostrā fallitis, certū sit cuiq;, quas partes sequi,
quid sperare debeat. Nam hi qui adsunt, & qui
uos circumstant, cùm uirtuti Lascij faueant, tum de
se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierna die
decertari putant. Habetis tempus Iudices, quo
aliud opportunius nunquam erit, ut ostēdatis quan
tum Ecclesiæ prodesse uelitis. Quam si uerè uni-
uersalem efficere, si nomine ipso Romano illam
consecrare uultis, hodierno die cùm in cæteris, tum
uerò in hoc Ioanne Laski statuendum uobis est,
utrum nos, qui semper hoc uestrum iudicium expe
ctauimus, semper miseri lugeamus: an diu uexati à
perditissimis hominibus, aliquando per uos ac ue
stram fidem, uirtutē, sapientiaq; uereamur. Quid
enim nobis laboriosius Iudices, quid calamitosius,
quid afflictum magis dici aut fingi potest? qui am-
plissimo munere suscepto, non solum præmia amisi
mus, sed etiam illa priuata quæ domi erant perdidi
mus: non genus, non familia, non domus, non lectus
deniq; certus aut pudicus nobis est. Facite enim
cogitetis Iudices, & paulisper uitam nostram inspi
ciatis. Digni uobis profectò uidebimur, quorū uos
capiat misericordia, & quos ex his malis eximen-
dos

dos atq; ope uestra subleuandos uobis putetis. Nul-
lam uitæ nostræ partem uidebitis, quæ summæ tur
pitudinis sit expers. Nil flagitiorū usquā, neq; libi-
dinum fuisse reperietis, quorum iste aculeos in nos
non immiserit, & quibus nos non confecerit, dum
nobis nil reliquit quo nos consolemur, & quò ocu-
los ac animos nostros conuertamus: dū soli in stra-
tis relictis, huc atq; illuc uersamur: dum incensi libi
dine tota urbe uagamur, inuestigantes ecquæ uir-
go sit aut mulier, in quā euomamus illud uirus in-
natæ libidinis. Quo etiam fit, ut cum impuris ho-
minibus uiuamus, qui in mulierum corruptelis ex-
ercitati, inuestigare, adire, appellare, corrumpe-
re, somno maritorum, diligentiæ parentum insidia
ri, & quiduis facere in adducendo scorto norunt:
in quo adipiscendo ut summa inest turpitudo, sic
summum est periculum. nam sæpe cædimur, sæpe
occidimur, ac miserandum in modum trucidamur,
cum aut corriualium amorem interpellamus, aut
coniugum fidem. Nihil fingo Iudices, res ipsa est:
exempla non solum uetera, sed etiam noua atq; re-
centia ostendunt, quas mortes, quos morbos, quas
cædes in ordine nostro uersari istius lege uideatis.

Iam uerò, qui pudor, quæ religio, qui metus no-
bis obstat ad stuprum? Nullus Iudices. Omnia uin-
cit amor, non frustra bonus canit poeta: quod illi
omnia sint peruia, pateant omnia, apertaq; cun-

cta sint. Quid uerò illi profusi sumptus nostri si-
bi uolunt? quid tubæ? quid conuiuia? quid uestis ua
ria, & exquisita, ac ne ipso iã aulico digna? Omnia
hæc sunt (credite mihi Iudices) illectamenta libidi
num, ac ipsarum meretricum esca: hic gurges, hæc
Charybdis patrimonij Christi, atq; Syrtis est. huc
conijcitur quicquid opum nostrarum est: huc pro-
uentus nostri, huc fructus spectant, cupito ut potia
mur amore. Quare non solum miseri tantis flagi-
tijs sumus, quæ nobis inuitis ipsa ex se fert natura:
uerùm etiã in summa omniũ rerũ affluentia, postre
ma laboramus inopia. Et quod interim pudeat,
cum equiti, qui uxorem alit, educat sobolem, qui ge
rit bellum, centum floreni iustus sic census: nos qui
soli sumus, qui uxore caremus, qui liberos non edu
camus, neq; bellum gerimus, mille florenos exiguũ,
& uix sacerdote dignum cẽsum putamus esse. Ne-
que ob aliam causam, ut quidem ego arbitror, nisi
quòd cum domo, lecto, uxore careas, hæc à uicino
sumas, & emas, si uti uelis. Quæ quoniã nimio uen
duntur, pecunia tibi cõcilianda est, quantum potest
ad eas res maxima: & ut hanc lacunam rei fami-
liaris expleas, sacerdotium unum parum est, ne-
cesse est ut plura habeas. Vniones, dispensationes,
coadiutoriæ, necessariæ tibi sunt quærendæ. Nam
cupiditates naturales, quæ uxore sunt constrictæ,
explentur facile: neq; enim apud uxorem opus est
cantu,

cantu, neq; symphonia, neq; ueste, nec conuiuio, ut
illa utare. paratus hic amplexus tibi semper domi
est, absq; quouis sumptu. at scorto ut placeas (ma-
gno meo malo edoctus hoc dico) pugnandum om-
ni ratione est. Quo fit, ut in rebus illis quas fert a-
mor, infinitis, infinitæ sint cupiditates, & ita infi-
niti sumptus. Cuius rei exempla ex ipsa urbe Ro-
ma multa sumi possunt, quæ documenta nobis erũt
quantum bonum sit uxor. Date hanc ueniam Iu
dices, neq; molestum sit audire id quod tantopere
Ecclesiam offendit: ut his incommodis cognitis, fa-
cilius Ecclesiæ mederi poßitis: quam læserunt isti,
qui quæstum putant esse pietatem: qui fœnerationi
bus, usuris, ac dolis urbem ipsam Romam infamem
apud omnes gentes reddiderunt: qui mercede ac
precio constitutis in urbe officijs, in illo uberrimo
ac quæstuosißimo Cancellariæ loco, mensas illas re
tulerunt, quas olim Christus ex Ecclesia eiecerat:
in quibus precium isti, imò uerò sanguinem ipsius
Ecclesiæ sorbent: aureosq; illos numos longè accu-
ratius atq; acerbius exigunt, quàm quispiam fœne-
rator suum exigit creditum: quorum illa est impu-
dentißima oratio in reprobanda pecunia, Hoc ego
noctem non emam, illud amica nõ capiet mea. Ve
stra admurmuratio facit Iudices, ut agnoscere ui-
deamini hoc scelus. Ego etiam me non mentiri cer-
tò scio. Quoties ego, Iudices, ab his repulsus sum?
quoties

quoties contumeliosè appellatus, quòd mala moneta urbem replerem, quam ne ipse quidem Barisellus caperet à scortis tributi nomine? ita enim appellant præfectum lictorum. Itaq; cum isti ad suum quæstum, nundinationemq; Ecclesiã traduxerint, summa auaritia atq; luxuria incenderunt urbem: easq; res in urbem Romam introduxerunt, quæ euertendæ Reipub. causa solent esse. Nam ibi continentia fornicationi cessit, matrimonium adulterio: nec propter aliam causam, nisi quòd centesima uix urbis sit pars, quæ in matrimonio degat. Cœlibum ingens est numerus, quibus quasi pro pœna ementitæ continentiæ dantur scorta ut alant, pecunia utiq; grãdi. Quæ ut suppeditet illa nundinatio in urbe, & illa usura, banchus item, & officiales sunt constituti. Itaq; hoc tanto mercatu urbis indicto, cõcurrunt undiq; scorta Romam: flagrat urbs tota uoluptate meretricum, ac libidine. Nec mirũ, omnibus cœlibibus tot gentium atq; nationũ unam in urbem reuocatis, tãtaq; libidine ipsius orbis terræ in una ciuitate inclusa. Et cum tot sint in ea urbe sacerdotes, adolescentes, pecuniosi, nobiles, ita undiq; ad eos confluunt scorta, ut locus matribus ipsis familiãs uix iam in urbe sit. Neq; enim est locus in orbe terrarum ullus, unde meretrix Romæ non sit. Quarum censum cum anno ab hinc sexto ageret præfectus lictorum urbis, censa sunt meretricum

tricum capita X L V. millia: quod uos ex ipso censu cognoscetis, quem recita.

CENSVS MERETRICVM.

Ex hoc censu perspicitis Iudices, quam lernam hic nobis in urbem Romam introduxerit: unde tot libidinosissimæ oriũtur hydræ, quibus matrimonio urbs ipsa purgetur necesse est. Quod si hic in ecclesia stare uoluisset, licebat sacerdotibus, pro meretricibus has easdem mulieres uxores nunc habere. quarum mulierum numerus, cum ipsorum cœlibũ in urbe numerum non excedat (nam hoc quoq; est cognitum) tot essent uxores, quot sunt inibi sacerdotes. Nunc uerò matrimonio sublato, tot sunt sacerdotes, quot sunt in urbe meretrices. Et meritò quidem. nam tu id quod in manu tua fuit, nempe ligare fide uirum cum uxore, tollere potuisti: ius uerò ipsum naturæ tollere non potuisti. Nam Aristotelis est illud uetus, ut materia formam, sic mulier appetit uirum: & ut forma absq; materia esse nequit, ita nec uir, & planè uir, potest esse absq; fœmina. Quare sacerdos mulieri fidem ne det, prohibere credo ui potuisti: ne uerò is mulierem appetat, neúe cum illa cõcumbat, prohibere non potuisti. Frustra uisitatores, frustra archidiaconos tuos scortatoribus custodes posuisti. Quis enim ipsos custodiet custodes? quos tu oculos tuos appellare soles: qui si oculis pleni essent, ut Argũ quendã fuisse ferunt,

ferunt, & si cōtinentißimi ipsi essent, tamen caligabit mihi crede in stupro oculus hic tuus, ubi nō censeas: obrepet etiam scortum, ubi non putes, quod mihi etiam ipsius Archidiaconi (si sit necesse) premat supercilium, ut mihi illum placatum reddat. Qui si sæuierit, tamen tribus marchis acceptis abibit lubens, illud in aurem mihi canens: Si non castè, tamen cautè. Sic ille delinitus à me, non tantum me non accusabit corā te: sed etiam continentißimum me dicet esse omnium clericorū apud te, dignumq́; me esse ducet omnibus gratijs & dispensationibus tuis, & cui des ea quæ sacerdotibus maritis abstulisti. Deinde hic tibi laudabit meretricis meæ formam, ingenium, mores etiam cōmendabit: dignāq́; esse dicet, quæ in urbe cōmoretur, & quæ tibi sit tributaria. Nam & hic quæstus Romæ est uberrimus. scorta enim Romæ (ut scitis) ex censu quottannis tributa conferunt. In censu habēdo, potestas omnis æstimationis habendæ, summæq́; faciūdæ Barisello permittitur: quo sanè censu ingens pecunia conciliatur, dum pro ratione scortationis, atq; modo, cuilibet meretrici tributū imponitur. Ea enim urbis est disciplina, ut scortū tāto plus in tributū cōferat, quāto pluris noctē uēdit. Et ne quis me fortè accusatoriè fingere rē tam impudentē putet, cognoscite ex rationib. relatis ipsius Bariselli, ut Romæ in singula scortorū capita tributū describatur.

RATIO-

RATIONES BARISELLI.

Gryffa, Flaminia, Saltarella, aureæ: Betina, Faresa, Fornara, diobolares. Hic quæro, cur tibi illæ aureæ, istæ uerò diobulares uideantur esse? nisi fortè, quod illæ maiorum cœlibatum sustineant, istæ uerò minorum, ut ita tributum illarum exæques pondere. Sed dum numeratur hoc istud Romanum pecus, non uobis in mentē uenit Iudices, cogitare, quanta hæc lues atq; labes Latinæ sit Ecclesiæ? eū censum fieri, ea quoq; peccata in illa uersari, quæ non tantū esse, sed ne nominari quidē inter nos uult diuus Paulus? Scorta etiam certo tributo notari, et in classes istius lege describi, quātum tandem dedecus hoc esse nominis Romani censetis? nō uobis Sardanapalus quidā, aut Heliogabalus, & nō Pontifex Ro. in Ecclesia uersari uidetur? qui nō solū nutu, uolūtateq́;, sed etiā legib. atq; decretis scortationē matrimonio antetulit, aluit, atq; auxit? qui corpora Christi lota sanguine, tēpla Dei, habitacula aūt Spiritus S. lege sua cōstuprauit, fœdauit, inquinauit omni scelere? illaq́;, ne quid fortè prætermitteret, tributo etiā notauit nefario? Homo omnium amentißime, tantū'ne tibi de nobis licuit, ut nos tot notis, ac tātis infamijs notares? ut genus nostrū, ouile Christi, prostitueres, ac precio libidini addiceres? Cur nō potius, id quod traditū à maioribus acceperas, ex meretricibus matronas, ex scortatorib. maritos

maritos sacerdotes fecisti?ut hæc genera libidinum sacrilega, hac ista parua immutatione ex Ecclesia Dei funditus tolleres?ut in ea uitam pudicã, quam acceperas, constitueres, atq; adeò retineres?tantine tibi hic quæstus fuit, ut puellas ingenuas, honestas matronas, quæstu proposito ad stuprum uocares, & tantum scelus portis patentibus in urbem reciperes?totumq; illum puellarum atq; mulierum infelicem cœtum impurißimo lictori subijceres?ut hac ratione Sodomam illam nobis, atq; Gomorram ueterem in ea urbe referres, quam omnium gentium arcem, atq; lumen summi imperij Deus esse uoluit? In qua urbe olim omnes illæ præclarißimæ uirtutes, iustitia, fortitudo, temperantia, atq; modestia, natæ, altæq; esse dicuntur: huic' ne tu urbi hanc tantam calamitatem inußisti?hanc' ne tu urbem solam ex omnibus tibi delegisti, in qua plurima stuprorũ ac flagitiorum tuorum monumenta constitueres?

Iam uerò illa probra atq; dedecora, Iudices, quãta sunt, quæ' ue hac ista quasi quadã lernea palude, hoc autore, & quasi parente gignuntur? Hic enim incertum est genus: non noti parentes, ignota soboles, incerti fratres: non notæ sorores, fratrum ac sororum hic certus est concubitus, ob incertum genus. Ex hac tali confusione atq; turba qui nascuntur, quàm fœdi sint, quàm miseri atq; calamitosi, facile perspicitis Iudices. Partus aut eduntur cũ probro,

bro, aut flagitiose supprimuntur: dum quæ paulo pudentiores sunt, aut ueneno partũ abigũt, aut ubi pepererint exponunt: interdumq; in lacunas ac piscinas, atq; in ipsum Tyberim, ut lateant, abijciũt. Id quod Gregorio pontifice compertum est, cũ ex piscina quadam ad Tyberim sita, uerriculo tot infantium demersorum corpora extracta sint, ut eo conspectu Roma territa, ne terra illi dehisceret, ad Gregorium cuncta concurrerit, illiq; tot cadaueribus præsentibus fructum huius impuri cœlibatus exprobrauerit: cum coràm uideret tam præsentem non iam corporum, sed animorum interitum: qui prius occiderunt, quàm ab Ecclesia baptismum recipere potuerunt. Quantum hoc uenenum sit Ecclesiæ, quanta contagio, uidetis: dum natura scortationem fugiens, ius suum à nobis tanta strage, hominumq; innocentium interitione repetit: neq; ea occulturi sinit, quæ contra illius nutum nefariè, maliciosèq; geruntur: profert in lucem, ac in oculis omnium, cõspectuq; ponit, ut argumentis præsentibus ulciscatur, se à nobis læsam. Quid uerò illi, quos nõ ipsorum parentũ uoluntas, sed diuina quædam sors seruat, meliore' ne conditionẽ sunt? Non multo quidem Iudices. nam illi cum uita sensum quoq; infamiæ amittunt: hi uerò cum acerbißimo ipsius infamiæ sensu uiuunt, easq; pœnas scortationis dant, è qua sunt orti, spreti, cõtempti, abiectiq; ita sunt,

ut præter auram hanc cōmunem nil illis leges cum ingenuis cōmune uelint esse. Inquinari omnia publica munera non solum contactu, sed etiam conspectu illorum putātur: nulla his testimonij dictio est, nullus ad honores aditus, nulli magistratus his mā dantur. à sordidioribus etiam artibus arcentur: deniq; nullo sunt in repub. loco, neq; numero, ut umbræ potius quàm homines, intertrimenta ciuitatum, quàm ullæ illarum partes esse uideantur. à sacris uerò ita arcentur, ut spurio neq; aram tangere, neq; sacra facere, neq; sacerdoti esse, ullis legibus Ecclesiæ liceat. Tanta ignominia notarūt scortationem omnes mortales: has etiam notas inussērunt huic generi sacrilego omnes leges ueteres. Quas tamē leges, quod uehementer scortationi essent aduersæ, hic noster præclarus autor omnes sustulit de medio, ne quid fortè ad scortationem nobis obstaret. Cū enim tāta esset in urbe scortatio, quanta ab his qui Romæ non fuerunt, uix credi potest, & cum inde ingens turba spuriorum quotidiè ederetur, & in his suos etiā atq; suorum uersari iste uideret, re ipsa admonitus legem tulit, qua hi legittimi poßent reddi: quos cum aduersus omnes leges iure liberorū donaret, nil differrent ab his qui ingenui sunt nati. Iußit enim, ut eosdē honores in repub. cum ingenuis gererent, easdem etiā artes pertractarent: sacrisq; non solum interessent, sed etiā sacrifi-

sacrificium, quod fit pro salute populi, si illis uideretur, facerent. Videtis Iudices, quàm hoc pulchrū sit: intelligetis illum eis hominibus locū in Repub. atq; in Ecclesia dedisse, quibus ne cōmercium quidem esse oporteret. Infames illos, inquit, esse dolebam. Adiuuo te, mei quoq; testes idem dicunt, scortatione infame genus edi. Sed illud tamen abs te quæro, hæc ista infamia, naturá ne in spurijs tuis hæret, an uerò opinione cōmuni? Si opinione, quid te futurum est? quò confugies? ubi nitere? aut quomodo perficies, ut quem omnes detestantur, omnes contemnunt, ac uix hac luce dignum putant, ei nos tua lege adducti, locum inter nos demus, ac illum parem nobis subitò factum esse putemus genere, nomine, familia? At uide quid intersit inter meā opinionem, ac tuam. Ego si causam proferre non possem, cur tua lege infamia spurius hic tuus non leuetur: tamen mihi illud satis esset, cum quem omnes mortales oderunt, quem infamem esse scito communi decreuerūt, odio omnibus esse debere: tibiq; pugnare cum animis atq; cōmunibus sententijs hominum non licere, neq; istam legittimationē tuam, (utamur enim hoc uerbo, ut in re noua nouo) quicquam apud nos ualere oportere. Nunc uerò cū causam uideam cur hoc ita sit necesse, & quòd scortationē matrimonio nunquam parem fuisse reperiā: propterea neq; seruum libero, neque spurium in-

genuo parē ego unquam putabo. Quod si hæc in-
famia natura in spurijs inest, scriptumq; ita sit, Nō
erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ: quæ tan-
dem tua lex ista erit, quæ hanc legem naturæ immu
tet? Nulla ratione profectò Syrici, ne si cupias qui-
dem. neq; enim protinus quod tu cum Bartholo aut
Baldo, aut cum illo monacho affirmaueris, res ita
erit: cum qua oratio conuenire, non illa cum tua
oratione debet. Quapropter ut ancilla Dei lege
nunquam par erit liberæ, sic neq; seruus libero, nec
spurius par erit ingenuo. & si erit, tibi erit: habe ti
bi tales ingenuos, in honore apud te sint, atq; in pre
cio, si lubet, facile nos tibi illos remittemus: modò
respub. nostras nō attingant, artes nō tractent, neq;
honore liberorum apud nos sese uenditent. In quo
tamen illud est præclarum, cur eos quos in matri-
monio è sacerdotibus nasci non uis, ingenuos à no-
bis uis existimari? & quorum legittimum odisti ge
nus, cur illis legittimum nomen imponis? Cur emen
tiris? Cur eos, ita ut sunt, spurios appellari non si-
nis? Hoc monstri simile est Iudices, à re abhorrere,
nomine uerò rei gaudere. Equidem interdum audi-
ui rem nonnullam esse honestam, quæ tamen hone-
sto nomine careat. sed honestum nomen ut rem tur-
pem habeat, hoc ego non audiui: atq; adeò nil tale
esse in rerum natura contendo, quod nomine hone
stum cum sit, re ipsa sit turpe. Quamobrem cum

tua lege sacerdotis filio legittimū nomē imponas,
cur res ipsa legittima ne illi hæreat prohibes? cur
interdicis? cur sæuis tātoperè in eos qui rem ipsam
legittimā amplectūtur? cuius tu nomen tāti facis, ut
illo rem turpem honestes. Non hæc uobis porten-
ta uidentur esse Iudices? nomen ipsum probare, in
laude ponere: rem uerò ipsam, cuius hoc nomē est,
turpem existimare? Iam illud cuius tandem est
dementiæ? homines infames honesto nomine orna-
re, à re uerò honesta illos arcere? Nō hæc uobis in-
sania eleboro digna esse uidetur, quæ ex hoc ho-
mine purgetur? non Margetes hic uobis quispiam
stolidus hæc loqui, ac sancire uidetur? quem dubi-
tasse ferunt, pater'ne, an uerò mater illum aluo edi
derit: ut hic quoq;, spurium'ne nasci, an uerò legit-
timum, addubitare uidetur. Habe tibi istas tā præ-
claras leges Syrici, et ijs perfruare si lubet, cū tuis:
nos illas nolumus, quibus tu non solum obscœnita-
tem tantam in urbem introduxisti, sed etiam res tur
pes honestis uocabulis permutasti: primusq; omniū
excogitasti, quomodo id quod nomine esset hone-
stum, re ipsa sit turpe. Valeat hæc tua improbitas,
in illo meretricum conuentu misero atq; calamito-
so. Medeantur sanè præclaræ matresfamiliâs illæ,
hoc tuo inuento suæ infamiæ: pariant tibi tales libe
ros ingenuos, cum ita sit necesse: urbem etiam Ro-
mam repleant hoc tali genere. à nobis certè repu-

dietur hoc tuum scelus, qui naturam ducem sequimur, & qu honestatem ipsam, pudicitiamq; omnibus legibus constitutam tuemur. Vnde etiam nil foedius scorto, nil turpius spurio, nil obscoenius legittimatione hac tua flagitiosa & infami arbitramur esse. honorabile connubium esse ducemus, cũ uxoribus pudicè uiuemus: uerè liberos, uerè ingenuos è nobis edemus, quib. Ecclesiã Dei illustremus, respub. ornemus, honores mãdemus, et quos ad oẽs artes applicemus: deniq; quibus è uita decedentes, uitã hãc mortalẽ gerendã ac curãdam tradamus. Nil iã Syrici, in tãta ueritatis luce patefacta, apud nos ualebũt decreta, nil edicta neq; interdicta tua. Et ne fortè me aliorum nominibus in hac causa niti putes, & quoniã cõmotus rumore ductae à me uxoris fortunis meis inhias, atq; immines, audi quàm ego defugiam autoritatẽ huius facti. Animaduerte quaeso, quanta spe in hanc causam sim ingressus, & quàm ego me decretis atq; interdictis tuis prohiberi ab uxore putẽ. Vide quãta lux libertatis dicendi mihi apud hos affulserit: quantum potero uoce contendã, ut hoc oẽs exaudiãt. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus. Et qui mecũ unà ab hoc oppreßi estis, erigite mentes, auresq; uestras: & me de inuidiosis rebus (ut ille putat) dicentẽ attẽdite. Ego sacerdos in Ecclesia Praemisliensi nutu Dei Opt. Max. factus, cũ Syricius legibus latis crude

crudelißimũ et luctuosißimũ exitiũ Ecclesiae cõpararet, cum matrimonium expugnaret, cum scortationem in Ecclesiam introduceret: cũ uirgines ingenuas, honestas matresfamiliàs ad stuprum uocaret: cum tot partus supprimeret, tot spurios ederet: cum me nefarijs amoribus, uetitisq; amplexibus implicaret: cum mihi uxorem, liberos, familiã eriperet: ausum esse profiteor, cõtra ipsius imperium, uxorem ducere. Itaq; duxi: meisq; consilijs ac periculis multos, cum secius non possem, sacerdotes scortatione liberaui: multis uxores reddidi: multos adulterio, multos Sodomia, multos pecudum concubitu liberaui, ac data uxore ab interitu seruaui. An tu me existimasti ueritatem à me patefactam contaminare uelle aliquo mendacio? Nec si id à me nondum factum est, iccirco etiam non debere fieri isti statuent: in quorum tu oculis tantorum scelerum non iam uestigia, sed cubilia reliquisti. Quid enim est quaeso Iudices, quod in tam immani scelere faciendum censeatis? iam ego uos consulo. Scortationẽ corrupisse omnia uidetis: in quanta etiam infamia simus stuprorum gratia scitis. Hic ego imploro sensus uestros, uniuscuiusq; imbecillitatẽ obtestor, peto ut mihi consilium detis ex intimis uestris cogitationibus, atq; ex humanitate communi. Lex lata fuit nubendi, per hunc sublata est. Continentia mihi non datur, ergo illam non capio: Scorto

 utor,

utor (iam enim meipsum uobis aperiam (adulterio pereo, libidine in præceps uado: uxor deest, quæ manum porrigat, & quæ me inde eruat. Hic ego à uobis peto, ut de me statuatis, priusquam pereo: uxor'ne mihi mandato Dei, an scortum lege Syricij habendum sit statuite. nam nil est tertium. In corũ enim numerum me aggregetis, qui non continent: & qui uerbum illud cõtinentiæ, quia non datur illis, ideo non capiunt. utrumlibet tandem mihi censueritis, sequar. Sed illud tamen hac in re cogitate, atq; diligenter prouidete. non multum fortasse uestra interest, scortum ego, an uxorem habeam: sed ad dignitatem atq; existimationem uestram plurimum hoc pertinet, Iudices. Si enim Syricij lege cõcubinam, hoc est scortum mihi dederitis: cum Syricio opinione omnium iam damnato, facere uidebimini. Si uerò mihi uxorem reddideritis, omnes leges antiquas in suum locum restituetis, quibus matrimonium in hominum uita ab initio est constitutum. Illud primum nolunt: hoc alterũ à uobis cunċti petunt, non solum isti qui circumstant, sed etiã illi qui absunt: qui cum alias res nunc agant, de uobis tamen crebrò recordantur. Itaq; arbitrantur uos illis uxores suas hoc uestro iudicio esse redditu ros. Nolite Iudices hunc nuncium tam acerbũ illis mittere, si uxores speratas illis iugaueritis: neque hos qui adsunt, à uestro iudicio mœstos ac demissos

missos redire ad illos patiamini, quos erectos & alacres coràm stare uidetis. Nil impedit Iudices, quo minus hoc tantum bonum, quo ab isto priuati sumus, restituatis nobis. Audistis recitari ueteres leges, prophetas item omnes, Christum postremò, atq; Paulum legi audistis. In omnibus autẽ ijs Deũ apertè, quid sequendum sit uobis, monstrare cognouistis. Quare cum tot præiudicia, tam clara atque manifesta habeatis, dubitatis'ne id sequi, quod Deus iubet, & lex ipsa mandat? Tum etiam illud facite cogitetis, quæ autoritas uestra, quæ cõditio nostra, quis status Ecclesiæ sit futurus, si hæc multitudo quæ ad hoc iudicium ex toto orbe terrarum cõuenit, fracta desperatione hinc dilabetur: si libidinem pro continentia, scortationem pro matrimonio secum domũ retulerit. quæ tempestas erit ista, quæ acerbitas Iudices? quomodo huius tantæ calamitatis inuidiam sustinere poteritis? Quis uestras partes tuebitur? quis sequendos, ac non potius relinquendos uos putet esse, iam nunc cogitate. In sermone rẽ scitote esse Iudices: omniũ hæc sententia est, & oratio, nõ esse dubitandum, si uos istius nefãriam legem comprobaueritis, quin quisq; Lutheranum se dici, quàm Romanum malit. Cuius Lutheri, etsi pleraq; decreta ueteri Ecclesiæ repugnent, tamen hæc corrigi facile posse priuatim in illo putant: hoc uero de matrimonio quod ille suasit, tanti apud

ti apud omnes est, ut si comparetur, uestra bona sine hoc sint nobis relinquenda: mala uerò Lutheri, cum hoc eodem, sint à nobis ferenda. Quid enim proderint ista nobis obsecro Iudices, quòd Romæ Petri sit sedes, quòd ibi sint claues, si nos ipsi scortatores, si adulteri fuerimus? quibus Paulus scribit cœlum clausum esse: quò ergo claues erunt? aut quid proderit nobis Petri sedes, si nos scortatio ipsa prius absorbeat, quàm Petrus nobis cœlum aperiat? At uidete, ne in matrimonio castè ac pudicè cum Luthero uiuendo, iustè de uobis cum nonnulla uenia queri poßimus: Claues quidem penes uos esse, sed illis tamen frustra cœlum aperiri, in quod scortatione graues uos ipsi uix, nos uerò nullo modo poßimus intrare. Id quod testimonio hoc isto Pauli liquet.

TESTIMONIVM.

Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neque molles, neque masculorum concubatores, & cætera, regnum Dei poßidebunt.

Quare si in turpi scortatione, postremaq; nostra desperatione nil aliud quàm sedem uestram, atq; claues cōmentemur, quid quæso proderit nobis? At si bene & pudicè extra urbem Romam uixerimus,

xerimus, & à uobis ideo reijciemur ac proscribemur, quòd impudicè Romæ uiuere noluimus, quòd uerbo Dei contra uestrum edictum paruerimus, quòd Romæ claues quàm honestam uitā relinquere maluimus, non ueremur ne in nos grauius Christus animaduertat. Facile nobis dabit hanc ille ueniam: & alijs clauibus, quibus non putamus, cœlos nobis ille aperiet: præsertim cum hoc illi quærenti respondere poßimus, Receßistis à nomine Romano? Receßimus. Quid ita? Quia alligabant nobis onera grauia, & importabilia, et imponebāt in humeros nostros, digito autē suo nolebant ea mouere. At ibi sedes, et claues sunt? Sunt, fatemur, quibus illi clauserūt regnū cœlorū ante nos, in quod nec ipsi intrāt, nec nos introeūtes intrare sinūt. At obediēdū illis fuit. Minimè uerò Domine: Tu enim ore Pauli serui tui præcepisti nobis hisce uerbis,

EPISTOLA DE COELO.

Sed licet aut angelus euangelizet uobis, præterquàm quod euangelizauimus uobis, sicut prędiximus, anathema sit. Et nunc iterum dico: si quis uobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.

Quare cum tu præciperes (sic enim cum illo sermocinaremur) ut contra fornicationem, uxorem

uxorē haberemus, & quod hāc illi nobis suis decretis eriperēt, parēre illis noluimus, maluimusq; extra urbē cū uxore, quàm cū scorto in urbe tuo mandato uiuere: ideo ab illis profugimus, ideò etiam sedem illam cum clauibus reliquimus. Quod etiam ante nos fecerūt hac eadem de causa serui tui Græci, Alexandrini, Antiochæni. Ligati estis igitur ab his? Ligati, Christe domine. tu soluas nos oportet, contra uerbū tuum compeditos, ac uincula nostra iniusta disrumpas. Hæc nos illi ita responderemus, & iustè opinor. neque enim uos in hac sede ideo consedistis, ut ex ea uerbum Dei mutetis, homines etiam ipsos omni malo mactetis. Claues etiā ipsæ, uestræ fidei traditæ, ad salutem, non ad perniciem hominum debent ualere. Quòd si uos his perperam fueritis usi, clauium nomen ac uim amittent: quam si etiam retinerent, tamē inueniet Christus alias, quibus uobis inuitis posset seruare suos. Hoc enim homines scelerati, quibus cum continenter Christus bellum gessit, pharisæi etiam illi agebant, qui claues utiq; habebant. homines dicto audientes Christo ex synagoga proscribebāt, claudebāt illis cœlū, aperire nolebant illud, id quod illis sæpe exprobrat Christus. Inuentas tamen habuit Christus alias præter illorū claues, quibus nobis cœlum patefecit: & illis qui claues tenebant, exclusis, in cœlum nobiscum introiuit. Malè enim se res habe-

ret,

ret, Iudices, si tu claues habens, omnia nefariè decernas, & illa mihi imponas, quæ ego quòd fœda ac intolerabilia sint, cum ferre noluero, tu protinus iactabis Petrum, proferes plumbū, ostentabis claues, quibus me mandes Orco. Quapropter non solū quid poßitis, sed etiā quid uobis facere sit necesse, uidere debetis: ut cū ego decreto uestro uerbo Dei firmato nō stetero, tum uos has istas claues, tanquā gladiū cōtra me proferatis, quib. me arbitratu uestro feriatis. quod si quid uos aliter, quàm Deus uelit, iusseritis: & si ego uobis nō obediuero, hærebit hic gladius uester in uagina, Iudices: et si aliquando inde educetur, sua tamen acie carebit, ac hebes erit. & si feriet, uulnus tamē nō ducet, illo prohibēte qui dixit: Vos ligabatis, ego soluebam. Hinc iam uos perspicitis Iudices, quàm nobis pateāt portæ, ut egrediamur ex urbe: scortoq; Romæ relicto, uxorem ubiuis gentiū quæramus, cū qua bene ac pudicè uiuamus, si uos illā nobis Romæ negaueritis. Nil nobis ad eam rem obstabit sedes Petri, nil etiā uestræ claues oberūt, quo minus uxorē capiamus, quæ à Petro ipso huius uestræ sedis principe atq; huius collega Paulo nobis datur. Deniq; si pereundū mihi in utralibet parte esset, tamen extra urbē Romam, sine clauibus, in matrimonio honestè cadere, quàm in urbe Roma cum clauibus, in scortatione turpißimè, malim perire. Nam ego uel apud in-

feros

feros Aeacũ atq; Rhadamantũ æquiores puto esse iudices, maritis, quàm sint illi scortatoribus. Nũc uerò cum periculum nullum sit in causa, si connubium fuerimus secuti, ita ut si in alteram partẽ peccandum sit, Romam quàm uxorem relinquere malimus: uestrum est præuidere, ne nobis ad hoc consilium postremum confugere sit necesse. Non est causa cur nos ad hanc postremam desperationem adducatis. omnia uos hortantur, ut uxores nobis restituatis: omnia suadent, urgent, ac monent omnia. Deus primò ipse, parens atq; creator maris ac fœminæ: ipsa natura, nutricula matrimonij atq; comes: imbecillitas postremò nostra, quæ misera atq; afflicta uos orat atq; obtestatur Iudices, ut illi quãprimum opem feratis: ut erecta recreataq; per uos, unà uobiscum in urbe Roma, in cõmuni omnium gentium patria ætatem degat: ut uacua libidine, soluta scelere, ab hac quoq; desperatione liberetur, ne illi uel Lutherũ sequi matrimonij causa, uel Roma fugere scortationis ergò sit necesse. Possumus hæc nos utraq; simul retinere Iudices, Romam cum matrimonio nempe ipso, quo nitamur, & quo nos consolemur. Quod nobis facilius permittetis, si cogitaueritis illa probra atq; dedecora, quæ & uos ipsi uidetis, & à me iam sunt cõmemorata, quæ ne in ordine nostro essent, omnibus diuinis atq; humanis legibus prouisum fuit: quæ leges quandiu in Ecclesia

clesia manserunt, tamdiu summo honore atque existimatione habiti fuimus: istis uerò sublatis, omnia cum illis amisimus: non fidem, non existimationẽ, non ullam denique opinionis bonæ de nobis partem reliquam habemus. Vidit hoc sanctißimus ille, & grauißimus Concilij Nicæni autor Paunutius Aegyptius, & quantũ his in legibus ordini nostro situm esset, longè prospexit in posterum: dum senex, libidinisq; expers, patribus autor non fuit, ut aliquid de sacerdotũ matrimonio immutarent, cum nonnulli de abrogãdo illo referrent. Cuius tamen autoritati paruerũt patres illi, & illius sententiã pro lege nobis perscripserunt, quam recita.

LEX PAVNVTIA.

Nicænæ Synodus uolens corrigere hominũ uitam in Ecclesijs cõmorantium, posuit leges, quos Canones uocamus. In quorũ tractatu uidebatur aliquibus introducere legẽ, ut Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, cum cõiugibus non dormirẽt. Surgens aũt Paunutius cõfessor, contradixit: honorabiles cõfessus nuptias, & castitatẽ dicẽs esse cum propria coniuge cõcubitũ. Suasit itaq; Cõcilio, ne talem ponerent legẽ: grauem esse asserens causam, quæ aut ipsis, aut eorum cõiugalibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidẽ Paunutius, licet nuptiarũ esset inexpertus, exposuit, Synodusq; laudauit sentẽtiã eius: et nil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uni-

in uniuscuiusq; uoluntate, non necessitate permisit.

Quid expectatis, quid quaeritis amplius Iudices? dubitabitis'ne eam autoritatem sequi, quam Synodus illa, qua constituta esse religio nostra dicitur, tanta autoritate secuta est? quae autoritas si nõ esset, & si omneis mortales à legibus illis, quas prius recitaui, discederent, tamen uobis standum illis esset, neq; ab his quópiam discedendum. Nunc uerò cum etiam accedant decreta, institutaq; maiorũ, dubitabitis'ne id sequi, quod in Ecclesia sanctũ atq; à maioribus usurpatum fuisse confitemur? Quomodo quaeso Iudices, uestrum hoc dicetur esse Concilium? si à tam uetusto, à tam sancto, tam exemplorũ pleno Cõcilio, uestrum hoc Concilium dissenserit? cum hoc norma sit, atq; regula quaedam, ad quod caetera Cõcilia sint uobis referenda, ac exigenda. Quod ut nobis quoq; apud uos prosit, à uobis petimus Iudices, non gratia, non temeritate, nõ ulla potentia à uobis hoc contendimus: sed lege, usu, atque maiorũ exẽplis à uobis petimus: ualeat idem nunc apud uos, quod apud illos ualuit. Hoc etiam idem nobis in hoc iudicio prosit, quod illis in Nicaeno cõcilio profuit maioribus nostris, qui defendente Paunutio, uxores suas in Ecclesia retinuerũt. Quo illi omnia illa effugerũt uitia, quae in nos crudelißimè, luctuosißimeq; redundarunt. Quare si illis qui continenter in praesenti matrimonio uixerunt, patres illi

illi propitij fuerunt, quid à uobis nos non impetrabimus, quos perspicitis incontinentißimè, flagitiosißimeq; uiuere? qui hoc isto impuro coelibatu nostro dictum Paunutij sapiens comprobauimus? Nam cum hac ista Syricij lege, omnis fornicatio, quam Paunutius praedixit, in Ecclesiã illapsa est: quà ut leuemur, hac lege exclusa, matrimonium in Ecclesiam reducatis necesse est: unde multa bona capiemus, existimationem autem ante omnia recuperabimus: quam amisimus, dum contra Paunuciã legem Syriciae legi paremus. Hoc à uobis cuncti petimus: hoc etiam pro iure nostro à uobis poscimus. Date hoc nobis, quod potestis, Iudices: & cũ dederitis, uolente Deo, iubẽte natura, omni etiã uetustate concedente nobis dederitis, feremus hanc legem facile: honestè ac tranquillè in matrimonio uiuemus: contemni etiam desinemus. nam ita nunc despicimur, ut sacerdotij ac honoris nostri amplißimi nomen plus inuidiae nobis, quàm honoris afferat. Satis iam, satis à nobis factum est Syricio, Iudices: satis ille iam nobis ad omnem infamiã abusus est. Desinat aliquando, ac tantis malis nostris satur quiescat. Quid enim illi restat, aut quae turpitudo fuit, & infamia, quam nos illius lege non tulerimus? quae mala illi, aut incommoda expectanda à nobis sunt, praeter haec quae iam cernit? Vidit flagrantem libidine Ecclesiam, uidit ardentem in-

 uidia

uidia sacerdotem, uidit libidinis nostræ participes puellas, matronas ac pueros ingenuos: uidit spurios, ac subditos: uidit deniq; suppressos nefariè ac sceleratè partus. Quid superest illi de nobis? aut quas pœnas adhuc à nobis poscit, cum sua lege nos prostratos, ac iugulatos uideat? sit iã eo contentus: patiatur aliquãdo recreari nos, et nos à uobis subleuari nõ molestè ferat: neq; suam legem tantũ apud uos ualere uelit, ut uos uestri obliti, legẽ illius diutius in Ecclesia grassari patiamini. Satis diu fuimus in miserijs Iudices: satis multos annos ex inuidia laborauimus. Vos, qui in hoc iudicio patroni Ecclesiæ estis, si scelus odistis, prohibete aditum huius à nostro sanguine. date hunc illi incredibilẽ dolorem, ex salute Ecclesiæ, et ex uictoria nostra. patiamini illum uictum potius, quàm uictorem ex hoc iudicio abire. Vos etiam adeste nobis Iudices, exonerate hac inuidia ordinem nostrum: restituatis nobis dignitatem amissam. Hæc etiam mala atq; incõmoda cõmuni uestro præsidio tollatis de medio: ut hic tantus sacerdotum numerus, qui adest, lætus hinc discedat ad suos: finemq; adesse iam nunciet omnibus hisce malis, quæ tot seculis tulimus, ut hoc uestro uno iudicio Ecclesia in perpetuum stabiliatur. Nomen etiam ipsum Romanum, suam pristinam dignitatem apud omnes gentes recuperet: ut omnibus pacatis rebus, atq; constitu-

tis,

tis, uerè poßimus gloriari, nos in optima Ecclesia hoc uestro iudicio constituta uiuere: extra quam non est salus, & in qua sola datur id quod nobis per filium suum promisit Deus: qui ut uobis quoq; in hoc iudicio præsens adsit, oramus omnes: nosq; in primis, quos uxore carere non posse, scitis.

Dixi.

Stanislaus Orichouius.

BEatissime Pater: Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis angelis eius, ut hæc legas, ac secundũ ea mihi citò respondeas, sine præiudicio sacramentorum Ecclesiæ Dei, nihil faciens in alterã partem declinando. Pecuniã pro responso nullam mitto, ne emisse, non impetrasse responsum abs te uidear. Gratis ergo cum respondendi munus acceperis: gratis quoq; mihi respondeas.

STA-

STANISLAI ORICHOVII RVTHENI AD IVLIum Tertium Pont. Max. Supplicatio de approbando matrimonio à se inito.

SI per tuam potestatem, Iuli pater, uitam honestam tueri mihi licitum fuisset, in uxore abs te petenda operam nunc non abuterer. Sed quoniã tua potestas Pontificia obstat nobis, supplicabo tibi, non quo me ad id ulla cogat culpa: aut quòd credam uxore ducta, scelere obligari me ullo: sed quòd metuam eos, nisi tu eius retinendæ autor fueris, qui in Russia Propõtifices, sanctas dirimunt nuptias, morte, exilio, uinculis, atq; damno. Ideo horum metu impulsus, ad te uenio, abs teq; peto, ut mihi eã uxorẽ permittas, quã ego lege naturæ duxi: cuius præscripto ita uxorẽ licet ducere, quàm licet nasci, quamq; uiuere. Cui quidẽ legi qui repugnãt, nihil aliud agunt, quàm Gigantũ more bellant cũ Deo: ut iurè propterea plectãtur pœna, apud Deũ exitio, apud homines uerò infamia. Quæ quãta iã sit, testãtur tot gentes atq; nationes: qui se à Latinis ideo secessisse dicunt, quòd eorum nefariũ cõcubinatũ diutius

ferre non potuerunt: qui eiecto matrimonio, scortationem in ciuitatem receperunt, summo cum cõtẽptu uestræ pontificiæ potestatis: quæ quàm propterea iaceat, sentis Iuli. Expertus enim es, cum in Germania legatus à latere esses, nec iniuria. sublata enim ex urbe pudicitia, cũctoq; Latio unà prostituto, reuerentia quoq; aduersus uestram potestatem stare non potuit, qua solutæ gentes obedientiã uestri abiecerunt, cui erant subiectæ Ecclesiæ Ro. præcepto, cuius tu administer & dispẽsator es. Ita ij qui fuerunt Romæ ante te, cum cõtra naturam uniuersam contenderent, communi quoq; naturæ ipsius sensu ab hominibus repudiati sunt, atq; cõtempti. Qua quidem ex re non facilè dixerim, quæ mala sunt exorta. Tot enim hæreses inde natæ sunt, quot ferè inter nos sunt homines. Illa enim ipsa urbis Romæ infamia, atq; ipsorum Pontificũ contemptio, excitauit nobis ab inferis ueteres illos Manichæos, Pelagios, Donatos, & cæteros homines impios, quorum furor multis plagis impositis semiuiuam tibi Ecclesiam reliquit. extincto enim in Latio sacerdotum pudore, deleta etiam Pontificum existimatione, excitata sceleratorum hominũ audacia est: quæ eò usque nocendo est progressa, quò ad illam impunitatis spes est prosequuta. Ad quam cohercendam, autoritas Pontificum quamuis potens & imperiosa, sine opinione tamen uir-

tutis minimum momenti cum haberet, furori illorũ cõcessit, licentiãq; agendi quæ quis uellet dedit.

An ego Iulium illum Secundum, à quo tu utinam tantum re distes, quantum distas nomine, quẽ non amo metuam? qui cum nequiter domi, crudeliter bello uiueret, Ecclesiam bellis ciuilibus impleuit. Quid de Leone dicam? de quo illud etiam Romæ apud uos est: Vixit ut leo, mortuus est ut bestia. Tãtum enim ille Epicuræis deditus fuisse ferebatur, ut ad eorum modum futuram resurrectionẽ negaret. Successerat huic Adrianus, qui quòd contra morem Romanum consuetudineq; Ecclesiã regere cogitaret, opinione citius nobis est ereptus. Quid Clemens? qui cum urbem Romam prædæ ac direptioni proponeret, Gallumq; cum Cæsare inter se cõmitteret, ad extremum patriam suam Florentiam oppreßit: quo quid detestabilius dici, aut fingi potest? Iam Paulus ipse Tertius, cui tu succeßisti, cætera bonus ac prudens uir cum esset, ita tamen tacitus Pontificatus illius fuit, ut nisi in eo magistratu Perusinos domuisset, ac nisi totus spẽ illam Concilij habendi nobis ostentasset, Pontificem Max. nesciremus fuisse. Ita istorum uita omnis partim remissa in munere Pontificali, partim etiam inimica tranquillitati cõmuni cum esset, in summam inuidiam adduxit sedem hanc uestram: quam domicilium non iam religionum, sed fornica-

tionum cum arbitrentur gentes, discesserunt à uobis, ac dictis atq; scriptis uestrum quoq; Papale nomen ita sunt detestati, ut ij qui Papam sequantur, tanquam malefici Papistæ per contumeliã uocitentur Quorũ tamen ipsorum, Papistarũ inquã, mira est inter nos paucitas. atq; talis certè quidẽ, ut nisi retinerentur à uobis translationibus, gratijs atq; dispensationibus, ac cæteris modi istius præmijs, muneribusq; uestris Romanis, ipsos quoque Papistas, quos nunc uix tenetis, iam diu nullos haberetis. Hoc namq; istud pecus putidum ac sordidum, quàm sit uobis fidum experire, cedite nullas gratias ijs esse amplius daturum: puncto temporis dilabentur tibi omnes isti, hoc isto pabulo ac glande Romano abs te illis subtracto.

Nam illa uestra Confeßionalia, Indulgentiæ, Iubilei, atq; Petri limina, parum iam ualent ad alliciendos in urbẽ homines, ac in fide uestra retinendos. Frigent enim hæc iam ubiq;, ac omnium irrisione luduntur, ut Papistis etiam ipsis uideantur hæc esse præstigiæ quædam ad decipiendos homines imperitos, à Datarijs, Copistis, atq; Officialibus Romanis inuentæ, atq; excogitatæ turpis lucri gratia. Quare harum rerum fiducia, ne Papistas quidem ipsos sperare debes in tua clientela fore diuturnos. Pertæsum enim harum rerum iam est, in quib. aliud uidetur inesse nihil, præter illud mere-

tricium, Da mihi, atq; affer mihi.

Quapropter si autoritatem priorum Pontificum culpa amissam recuperare Iuli cogitas, intellige id tibi negocij antè dari, ut uitam pudicam in Ecclesia constituas: qua exornatus ipse, nos & urbẽ exornes: ut cum te non solum cum summa potestate sed etiam cũ summa uirtute uiderimus in Ecclesia esse, obliuiscamur illorum qui fuerunt ante te, hoc est, Iulij, Leonis, atq; Clementis. Qui cum omnia metirentur emolumentis & cõmodis suis, ipsius honestatis nullam rationem habebant. Licebat enim illis pontificibus, ære dato sororem in matrimonio habere uxorem patrui ducere, sacrilegum Episcopum esse, sacerdotem absq; uxore fornicari, adulterari, ac meritorijs etiam uti. Ad summam, ne agam de singulis, cum consimilia tetra quædam & obscœna illorum permissu ita paßim cõmitterentur, ut dictu quoq; uiderentur esse turpia, diminuerent pontificiam dignitatem, autoritatis etiam tibi tantum reliquerunt, quãtum ex omni hoc isto naufragio fidelis Petri, illius inquam primi, recordatio inter homines retinere potuit.

Atqui hæc cõmemorantur à me, non quò uel illis mortuis insultem, qui patrum loco fuerunt: uel illorũ peccatis cõmemorandis aliquid tibi exprobrem, quem quouis honore dignum multi putant: sed ut intelligas, quantam expectationem sustine-

as, quantumq; onus susceperis eius sedis curandæ, quam tātis uitijs priorum pontificum conuulsam uides esse: ut uidelicet à me quoq;, homine Rutheno, & si ita uis Barbaro, fideli tamen quoad uoles filio, eas uoces pater audias, quæ iactantur quidem de uobis passim à multis, perferuntur tamen ad uos à paucis. Quibus sanè uocibus in hoc isto ceu theatro Ecclesiæ aperto ac exposito, excitandus nobis es, ut post tot pontifices aliquando euigiles ad salutem nostram, cui subuenire opitulariq; debes. Eò enim iā sumus adducti, ut aut subleuandi, aut certe amittendi abs te simus. Neq; enim diutius possumus perferre ac pati ea uitæ uulnera, quæ imposuerunt nobis illi ante te nomine pontifices, re autē uera acerbissimi exactores uestri, qui imbecillitatem nostram non ad cōmunis naturæ regulam exigebant à nobis, sed ad crudelia sua edicta atq; interdicta: quibus dum paremus, omnes quasi Sodama atq; Gomorra facti sumus. Neq; enim iam præ illorum edictis naturā sequimur, neque Deū reueremur: cui apertè fides ab illis abrogata est illa urbis clausula, Non obstandum in cōtrarium constitutionibus quibuscunq;. Qua sanè clausula omnes partes ipsius moderationis, uerecundiæ atq; pudicitiæ, sunt ab illis sublatæ de medio: quæ ne ullæ inter nos essent, prouisum est cùm cæteris pontificum decretis, tum uerò libro tertio

Decre-

Decretalium diligenter: quo in libro Alexander Tertius simulatione ipsius pudicitiæ, ueram pudicitiam ex Latina Ecclesia eiecit. Cum enim contra mandatum Dei, contraq; cōmunis naturæ sensum in eo libro edicit, ne homo clericus, néue sacerdos cum sua sit uxore: id agit utiq;, ut si is non contineat, sit cum aliena: ut hac uia eos homines perditos Ecclesia habeat, quibus salutem suam scilicet rectissimè committi putat. Neq; uerò opus est nobis in hac re testibus non necessarijs: perspicuum enim est, quam pestem decretales istæ in hominum uitam inuexerint: quæ tanta est, ut Lutherani, genus hominum acre, ac ingeniosum, & dicax, ijsce decretalibus Alexandri contendant, regnum Papæ cum regno Sathanæ idem esse. Neq; enim alias leges in suo regno ualere uult Satan, quàm eas quæ contra uim naturæ latæ, hominibus ad perferendum intolerabiles cū fuerint, illis causæ ad delinquēdum existant: cuiusmodi esse has istas de cœlibatu sacerdotum Alexandri leges cōstat, quibus legibus demersa sunt mandata Dei, natura etiam nostra est obruta: libertas uerò Christiana tremefacta, tantum destitit à uictu cultuq; ueterum Christianorum, ut si ij resurgerēt, nos esse ortos à se negarent. Et certè nisi uobis uehementer addictus essem, tot uitia tantaq; flagitia publica & manifesta, quæ ijsce decretalibus Alexandri cōmittuntur,

me

me cogerent, Luthero contendente Romã nõ aliud esse quàm cathedram pestilentiæ, confiteri: ex qua profluxit omnis hæc ista honestæ uitæ pestis, tantaq; audacia, ut non dubitarit Romanus Pontifex contra illud decretum Dei, Non est bonum hominem solum esse, Decretales suas perscribere, in quibus impiè decernit, legittimam illam coniunctionem maris ac fœminæ, in homine sacerdote nõ matrimonium, sed contubernium dici. Atqui cum tali potestate Antichristus uenturus nobis à Daniele propheta prædicitur, qui mutet tempora & leges, & qui decretis suis omnem legem mandatorũ Dei euacuet, nihil inter homines tranquillum neq; pudicum relinquens, sed cuncta libidini suæ peruia faciens, ut in hunc modum omnem uitam nostram inquinet atq; constupret.

Ex hoc ergo tali & Satanæ & Antichristi regno, ut cum uestigio fugiamus, iubemur à Deo, ne illius sceleribus pereamus. Quod quidem iam fecerunt Græci: quos etiã imitati Bohemi, deinde Germani, ciuitates suas amittere maluerunt, quàm in hac ista fornicatione Romana contra mandatum Dei perdurare.

Quos ego quidem homines antequàm iisdem de causis sequar, statui supplicare tibi, ne mihi uxorem eripi sinas decretalibus iisce Alexandri, impijs atq; sceleratis, quibus Dei & hominum iura ab illo

ab illo sunt uiolata: ut si id negetur abs te mihi, inuocem contra te cœlum ipsum, quod uidet, ac terrã, quæ iam uix sustinet pondus iniquitatum Romanarũ: ut si propterea aliquo scelere obstringar, quòd profugero abs te, tu omnem culpam huius errati sustineas, qui me retinere uxore data in fide tua cũ posses, hac eadem negata amittere maluisti. Vt autem facilius mihi subuenias, idq; quod peto concedas, omnem uitã, ac genus meũ tibi iudicabo: quod dũ breuiter facio, diligẽter pro tuo officio attẽdes.

Sum gente Scytha, natione Ruthena, utroq; autem modo Sarmata: quòd ea Rußia, quæ mihi patria est, in Sarmatia Europæ sit posita, dextra habens Daciam, sinistra Poloniam. ante illã est Vngaria; pòst uerò Scythia uergit ad orientem solẽ.

Hæc natio religionẽ ritu Græco sequuta, Christum est profeßa annos abhinc sexcentos. Serò Latinas literas didicit, quòd à Latino ritu uehementer abhorreat: in quo cùm alia multa, tum illa duo cum primis damnat. unũ, quòd apud Latinos ignota uulgo lingua Deus colitur: alterum uerò, quòd Latinorum sacerdotes absq; uxoribus flagitiose uiuant. Quare cum illi neq; Amen super ignotam sacerdotis benedictionem possent dicere, neq; Latinorum sacerdotum tanta flagitia perferrent, relictis Latinis sequuti sunt Græcos: quòd eorũ permissu Ruthenis liceret & lingua patria Deum colere,

lere, & sacerdotes continentes cum proprijs uxoribus habere.

Ex huiusmodi hominibus maiores mei orti cum essent, falsa persuasione Latinorum sacerdotũ, qui uictoribus Polonis in Rußiam uenerant, circumuenti, è ritu Græco cõmigrarunt in Latinũ: quòd illis persuaserant, nisi baptizarentur à Latinis denuò, baptisatos illos à Græcis non uideri.

Hac ista uia sacrilega maiores mei Latini facti, parentes meos in municipio Præmisliensi ediderunt: qui cũ essent honesti et copiosi, me ex se ortũ doctorib. Græcis atq; Latinis erudiendũ tradiderũt. ac deinde exquisitioris doctrinæ gratia, cũ ab illis missus eßẽ in Germaniã primùm, deinde in Italiã, summis doctoribus magistris usus, nullã partẽ eius doctrinæ quæ quidem homine libero ac ingenuo digna esset, inauditã mihi uolebã esse. Et cum pater septimo pòst ac decimo anno me ex Italia reuocaret (tantũ enim Germanicis ac Italicis præceptoribus datum fuerat temporis, domum redij ex urbe, Paulo Tertio Pontifice Maximo: à quo uiri præclari Hieronymi Gynutij Cardinalis opera, gratias (ut uocant) non paucas, neque modicas domũ mecũ deportauerã. Quarũ spe, ut fit, deceptus pater, quòd apud reges expedita hæc esset uia tã ad opes quàm ad gratiã, me quoq; adigere cœpit, ut pro more patriæ, ac institutis Poloniæ, cui

cui Rußia paret, hac ista opportunitate gratiarũ Romanarum usus, & me augerem, & honestarẽ meos. Cui ego aduersabar sedulò, quòd mihi uideretur esse cùm omnis ambitio turpis, tum uerò illa sacerdotalis fœdißima: est enim apertè sacrilega.

Sed cum pater, cætera prudens ac grauis, instaret quotidie, illaq; iactaret quæ sunt peruulgata patrum, se senem esse, sumptus se fecisse, in me aũt plurima rerum faciendarum uideri, uelle se quoq; laboris ac diligentiæ suæ fructum capere, quod cõfieri poße hac ista trita sacerdotali uia: aliter se sumptuũ uehementer pœnitere. Quæ ego rerum imperitus, ac tum rudis, sæpe eadem & grauiter audiendo, uictus sum. Itaq; patris impulsu ad uirũ optimum ac innocentißimum, Petrum Starichouium, Rußiæ Archiepiscopum Latinũ, cui Præmisliẽsis diœcesis suffragatur, adij: ab illoq; sacerdos absq; Diœcesani consensu sum factus, quod id nihil ad rem pertinere existimarem: quæ tamen res postea mihi fraudi fuit. Episcopus enim ordinationem illam ratam non habuit. sed in hac tamẽ mea siue renunciatione, siue ordinatione sacerdotali, nullo rogatus sum ab illo Archiepiscopo continentiæ sacramento: adeò libera fuit illa ordinatio, nihilq; habuit neq; coacti, neq; extorti. Hac uia atque hoc modo sacerdos factus, cũ pater aulas atq; præbendas aßiduè iactaret: ego tamen à studijs doctrinæ

ctrinæ non discedebam. Pater interea moritur, unà cum filijs: è quibus sex, fratrẽ unicũ mihi reliquit, eumq́; ducta uxore sterilem. Qui cum aßiduè obtunderet me de familia ad se unum redacta, cui subuenire labenti possem, si uellem. cumq́; uitã mihi turpem ac flagitiosam absq; uxore proferret, exemplisq́; Græcorum, è quibus orti essemus, pugnaret: apud quos patrium esset, sacerdotibus cum uxoribus uiuere: ad extremũ impellit, ut uxorem ducerem. Itaque duxi Ioannis Chelmi filiam, Magdalenam nomine, re ipsa uirginem, loco autẽ ac genere nobilem. Ad quam ducendã ne quid mihi obstarent sacerdotia, quæ obtinebam, omnibus ultro abdicaui me: quòd scirem Romanis decretis ita caueri, ut sacerdoti, qui post consecrationẽ uxorem duceret, in ministerio ecclesiastico nullum ius esset: quàm autem id rectè, nihil ad hoc tempus mihi certè, qui uxore ducenda omnes leges præstarẽ, ne hæ quidem qualescunq; fuerant prætermittendæ. Sacerdotia itaq; quib. erã præditus, alijs tradidi quo expeditior uidelicet mihi esset ad uxorẽ uia.

Sed illud tamẽ unũ huic rei deesse Ioanni Dziaduski Episcopo Præmisliensi erat uisum, quo tu uidelicet pro autoritate Papali eius matrimonij autor fieres, diplomateq́; illud ualere oportere decerneres, quod summa fide atq; ipsius naturæ lege inter me & uxorem meam est contractum, sua sponte ualet.

te ualet: sed tamen quoniam ita conuenerat, ut Romam supplicatum ad te mitterem, magis ut stem cõuentis, quàm ut alicui neceßitati parcã, peto abs te supplex, coniunctionem hanc cũ uxore meã, ut approbes, ratamq́; habeas: ut hac fretus aliquando, ea fornicatione liberer, quæ (ut ne quid te celem) meæ uitæ æqualis adhuc fuit. Qua quidem in uxore summa mihi omnia sunt posita, uita primò pudica, spes deinde familiæ, tum uerò æternitas ipsa, quam speramus & optamus futuram. Quæ tria ut firma nobis certaq́; sint, curare debes, atq; adeò efficere pro officio atq; munere hoc isto pontificio, quod tibi ad ædificationem corporis Christi, quæ Ecclesia est, cuius pars & ego sum, concreditum est à Domino. Neq; uerò est, quòd ego præterea abs te expectem, quàm ut agente & procurante te, et ipse honestus uir sim, qui esse absq; uxore nõ possum: & mortalis uiuam semper in succeßione stirpis immortali: postremò, ut ex hac uita præscripto naturæ ad hunc modum recta, cõmigrem in illam uitam, ad quam fornicatores & adulteri non peruenient. His igitur tribus partibus cum mihi definitus sit omnis pontificatus tuus, uxorem mihi permittas oportet, quæ summa sit omnis eius curæ, quæ ad te de me pertinet. Nam ego translationes, uniones, atq; gratias nullas abs te petam: seruentur sanè hæc ista abs te alijs, eis autem in pri-

mis, quorũ uita à nulla re turpi abhorret ob quæstum. Pro ijs ergo omnibus rebus id solum abs te peto, ut me cũ uxore in matrimonio ponas, in quo solutus omni fornicationis formidine, certus expectem beatam illam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri IESV CHRISTI, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Quare cum intelligas & me cupidum esse illius beatæ spei, & ad eã peruenire non posse, nisi mundos & rectos corde: existimare debes rem tui officij esse, me ex hoc isto fornicationis cœno uxore data ereptum, pudicæ uitæ quamprimum reddere.

Equidem huius istius uitæ potiundæ causa uxorem duxi: quam ita retinere statui, uti ius fasq; est. Neq; mihi hanc, dum uiuo, ulla ui extorqueri unquam sinam, neq; etiam me diuelli ab illa patiar. id enim cùm religiosa ipsius naturæ lege iura uetant, tum uerò illa præcepta Pauli diuina ad talem constantiam nos adhortantur: Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Et item: Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere. Quorum præceptorum ui adductus, ita me comparare debeo, ut fidem uxori datam conseruem, præsertim cum illi nullo uitio à me datam esse sciam, uel eodem

Apo-

Apostolo teste, qui ita decernit: Si acceperis uxorẽ, non peccasti: & si nupserit uirgo, nõ peccauit.

At uouisti castitatem, inquies. Primò dicam, me nullam omnino uouisse: cuius rei testis superest Petrus Starichouius Rußiæ Archiepiscopus, qui ordinationis illo tempore ne uerbo quidem de continentia appellauit me, quemadmodum paulo antè exposui.

Deinde fac uouisse me, tamen non plus me huiusmodi uoto teneri putarem, quàm si uouissem digito cœlum attingere, aut aliquid tale facere quod in mea manu situm non esset. Eiusmodi enim res fingi & optari possunt, præstari uerò quia extra captũ nostrum sunt, à nobis non possunt. Quid uerò, cum talia uota eius generis sint, quæ multarum turpitudinum sint causæ, etiam'ne apud nos ualebunt? Minimè opinor. Talia enim uota Herodis regis impij fuisse perhibentur. ille enim uoto adductus est in conuiuio à scorto, ut Ioannem Baptistam gladio feriret. Quanto autem melius fuerat, in hoc uotum Herodis non esse seruatum? Cui cum simile hoc istud uotum continentiæ, quod cõtra me profertur, existat, à me seruari etiam datum non deberet. Hæc enim legittimorum uotorum ratio adhuc fuit: primò, ut turpia ne sint: deinde, tolerabilia ut sint: postremò uerò, factu facilia. Quale uotum hoc istud continentiæ non esse, mul

k 2 ti

tis argumentis conuincetur: quod ea turpitudine est ut omnia illa præcepta deleat, quæ olim digito suo scripsit Deus: Non est bonum hominem solum esse, Non omnes possunt capere hoc uerbum, Qui potest capere capiat, Quod si se non continent nubant, Melius est nubere quàm uri: deniq; Propter fornicationem unusquisq; uxorem suam habeat. Hæc inquam, & multa alia præcepta diuina, quæ prætermitto, hoc isto insidioso uoto deleta, extinctáq; sunt planißimè. Quàm uerò tolerabilia fuerint hæc ista uota, ac factu facilia, plena exemplorum est urbs Roma: quæ cum sit procreatrix ac quasi parens talium uotorum, quàm infirma ad ea ipsa præstanda fuerit, quæ procreauit ac peperit, fornicationes illius atq; adulteria publica ac manifesta testantur: quasi ita necesse esset, ut illa princeps pœnas eorum uotorum daret, quibus ad omnem turpitudinem Ecclesiam Dei pertraxit: in eáq; ipsa quæ inuenit, euidentius extaret uotorum eiuscemodi uis atq; culpa, quàm in cæteris. Quare ut ad caput reuertamur, si hoc istud uotũ continentiæ ex infirmitate uitæ imbecillitateq; nostra interpretemur, nec metiamur illud (ut quidam Hypocritæ) uerborum magnificẽtia, nihil aliud profectò illud esse reperiemus, quàm latebram quandam nequitiæ, in qua omnia flagitia, stupra atque libidines impunè delitescunt. Nolo rem augere uerbis:

bis: perspicuũ enim est, quàm sit hoc uerum, quod scribo. Tibi certè homini multa ætate docto, ac cõmuni infirmitate prædito, ita esse, omnino debet uideri.

Quamobrẽ quis negauerit, talia uota nihil aliud esse quàm aperta periuria? propterea opinor, quòd uerum illud atq; integrum uotum cum ipso dono debet conuenire, ut non plus sit in uoto nostro, quàm in dono ab ipso Deo sit nobis concessum. id quod uult existimari diuus Paulus, cum quidem de continentia loquens, ad hunc modum scribat: Volo omnes homines esse sicut ego sum, sed unusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius uerò sic. Quod idem est opinor, ac si dicat: Volo ut eam tu quoq; uirginitatem despondeas uiro, quam despondi ego: sed si tibi non est dono data eadem uirginitas, quæ data est mihi, despondere illam Deo noli: fallet te spes, uoti compos non eris. Donum ergo relinque meum, & sequare tuum: uxorem ducas, neq; te peccare in eo existimes: est enim honorabile connubium in omnibus. ac uxor ex contraria parte uirginitati respondens, donum est alterum, quod ab ipso Deo paratum est incontinentibus. Iure igitur hoc istud uotum dono cassum, si ullum à me datum fuisset ab incontinente me, irritum esse deberet: quòd ea uouerem Deo, quæ neq; capere, neq; præstare ullo

modo possem. Nũc uerò cum nullum sit à me datum, non debeo compelli, uoti prætextu, ab uxore discedere, ut hac repudiata in deterius cadam, scortatorq; improbus aut turpis adulter de integro reddar. Dimittatur ergo à nobis hoc istud inane insidiosumq; uotum, qui uolumus apertè ac piè uiuere: ad eos autem homines relegetur, qui omnib. delicijs affluentes, Curios simulant, et Bacchanalia uiuunt: & qui sibi sumunt personam ueteris cuiusdam sanctitatis, eamq; reddunt spectabilem regulis atq; uotis, & id genus alijs periurijs, cũ sint pleni stupro, atq; omni flagitiosa nequitia. Quorum perditam libidinem uoti atq; castitatis simulatione contectam, quoties manifestis criminibus conuincimus, toties ab illis audire illud cogimur, nos ducenda uxore contra Decretales Romanas committere, quas illi uniuersalis Ecclesiæ leges appellãt: quasi uerò ulla sit Ecclesia uniuersalis, quæ Deo ac naturæ repugnet, legesq; ferat contrarias hisce legibus, quas à parente rerum natura accepimus. Quæ appetitu ad procreandum nobis dato, quid aliud egit, aut iußit, quàm uxorem ducere, unde legitimè nostrum extet genus?

Quam si sacerdoti fas non esset ducere, neq; appetitus ille ad procreandum naturalis scelere ac culpa in nobis careret. At cum is in nobis instituto naturæ sit legitimus atq; sanctus, nemo negauerit,

leges illas nefarias haberi, quæ prohibent nubere: eos etiam impios esse ac sacrilegos, qui damnant eos qui uxore ducta naturam sequuntur, optimam uiuendi ducem. Quod cum ita sit, alienißimas eas dicemus leges omnes ab uniuersali Ecclesia, quæ legitimis nuptijs sacerdotum aduersantur. Vera enim illa & integra Christi Ecclesia, nunquam à natura, uerboq; Dei discedit: ijs enim illa duobus uiuit, uiget, regiturq;. Quod si tu aut à natura usquã deflectas, aut uerbum Dei ex Ecclesia tollas, nihil nisi concilium malignantium & conuentum operantium iniquitatem in illa relinquas.

In quo quidem iniquitatis cõuentu, pace tua ac sedis Romanæ dixerim, Alexandrum Tertium ducem fuisse, apertè constat, cũ illas decretales promulgaret, quibus connubium sacerdotũ contubernium appellat, contra omnia diuina atq; humana iura. Neque enim aut lex Dei iußisset sacerdotem Leuit. 21. uirginem ducere uxorem, aut Apostolus honorabile connubiũ esse in omnibus pronunciasset, si sacerdotis cum uxore, ut cum meretrice, coniunctio, contubernium esset.

Quid Nicæna synodus, Paunutij Aegyptij ore, sacerdotis cum propria uxore concubitum castitatem esse tanta autoritate professa, parum'ne declarat, Alexandrum Tertium oblitũ naturæ atq;

Dei, in Decretalibus ſuis apertè eſſe mentitum? quibus ille uim talem hominibus infirmis intulit, ut palàm diſceſſerit à fide, attendens ſpiritib. erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquens mendacium, & cauteriatam habens ſuam cōſcientiam. Qui quidem Alexander nullam, ſi uiueret, cauſam afferre queat, cur' nam homini ſacerdoti matrimonio iungi fas non ſit: cum æquè matrimonium, ut ſacerdotium, ſit legitimum, ſanctum, ac ipſi Deo gratum. Alterum enim horũ non aduerſatur alteri, neq; pugnat cum altero. Stare igitur ſimul hæc duo in uno homine poſſunt, ut olim in patriarchis, prophetis, atq; in alijs ſanctiſsimis ſacerdotibus ſtabant: & ut nunc ſimul ſtant in cuncta Græcia, Alexandria, atq; Antiochia. Illa enim, quod te non fugit, in uno atq; eodē non ſtant, neq; coniunguntur ſimul, in quibus contrarietas repugnantiaq; ineſt. Quorum nihil reperitur in ſacerdotio, ac in ipſo matrimonio. ſoluta enim hæc duo ſunt libera, ac inter ſe finitima, humanoq; uſui nomine ſacratiſsimæ Trinitatis ambo pari modo conſecrata. Quæ duo cum ſeparet Alexander, alterumq; horum cum altero minimè admiſceri uult: quid quæſo aliud facit, quàm ut ea quæ Deus coniunxit, ſeparet?

At uicarius Chriſti Alexander ille fuit, inquies? Fuerit ſanè uel angelus de cœlo, tamen cum is aliud

aliud Euangelium de matrimonio, præterquam quod traditum eſt nobis, prædicauerit, ſacramentumq; illud magnum uiolauerit, contuberniumq; appellarit: id agens utique, non uicarius Chriſti, neq; Papa, ſed Antichriſtus, atq; ipſiſsimum fuit in Eccleſia Dei anathema. Memini ego Iuli, principem ſedis ueſtræ Petrum Galilæum modò clauigerum, modò Satanam à Domino dici: utrunq; enim fuit. Cum enim ſapiebat ea quæ erant hominum, Satan à Domino iurè uocabatur. Ad quemmodum clauigerum ego fuiſſe Alexandrum profiterer, ſi de matrimonio præcipiens ex ſede hac ueſtra, ita iuſsiſſet: Si non contines, nubas. At cum is capitali odio ab hoc iſto præcepto apertè diſsideat, uxoresq; legitimas per ſuſpenſionis ac excommunicationis ſententiam ſacerdotes abijcere cogat, contra illud præceptum Pauli: Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à uiro non diſcedere: Satanam illum atq; anathema fuiſſe, autore Domino pronunciare cogor. Neq; enim hoc ius in Eccleſia Chriſti uobis Pontificibus eſt, ut nobis contra præcepta Dei, contraq; naturæ iura leges imponatis, pœnaq; capitis ſanciatis, uerba etiam ad arbitrium ueſtrum fingatis, quo rerum naturā euertatis. Quod quidem apertè Alexander in Decretali ſua impia facit, dum quidē legitimas ſacerdotis nuptias uer-

bo Dei contractas, contubernium, per summũ matrimonij dedecus uult nuncupari. Cuius incredibilem audaciam in fingiẽdis nominibus, ac cõmutandis rebus, quàm irriserit Graecia, Alexandria, atq; Antiochia, Germania item, Bohemia, ac etiã Russia, testantur matrimonia sacerdotum, quae apud eas gentes non damnata contubernia, sed iusta (uti sunt) appellantur connubia.

Quamobrem peto abs te Iuli, per CHRISTVM IESVM, de quo coelitus est dictum, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: ne quid matrimonio meo decretales istae Alexandri apud te obsint: quae graues aduersariae Christi, ac ipsius templi, quod & ego sum, cum sint, locum apud te habere non debent. Memento Iuli, te non Alexandri, sed Christi uicarium dici: qui te cum summa potestate ad nos ideo misit, ut nos Euangelium ipsius, non autem Alexandri Decretales doceres. Quo sanè Euangelio cum uxor mihi detur, non debet Decretalium istarum praescripto abs te improbari. Quae quidem Decretales, ut ab Alexandro Tertio cum publica omnium pernicie latae sunt, ita quoq; abs te Iulio Tertio cum salute omnium possunt dissolui: ac multo etiam magis. Si enim illius Decreta tantum ualent ad pestem, quanto magis tua debent ualere ad salutem? Et si potuit ille Decretalibus suis constuprare Ecclesiã Dei, quanto po-

to poteris magis tu illis abrogandis Ecclesiam honestare, ac ex prostituta castam quasi matronam reddere? Si non ea dedecora, stupra, adulteria, caedes, ac ueneficia orirentur ex Decretalibus ijsce: si homines etiam ipsos sacerdotes, ea cõtinentia temperantiáq; libidinum haberemus, non quae nunc est, sed quae fingi potest: tamen eam legem indignã Ecclesia Dei existimare deberes, quae matrimoniũ eximium Ecclesiae sacramentum habet, quod contubernium appellet: ut quod in parentibus meis fuerat sacramentum legitimum, id in me translatum sit maleficium detestandum. Nunc uerò cum infamia scortationum ac quotidianorum maleficiorũ sacerdotalis ordo summa inuidia prematur, & cũ omnia sacra ac prophana cõstuprentur, etiam ne eam legem in Ecclesia perferes, qua Ecclesiã Dei non solum diminutam, sed etiam euersam uides esse? Ne hoc concedat magnus ille summusq; Iupiter, qui te in hac ista celsa sede seruandorum hominum causa collocauit, huicq; isti stabulo Ecclesiastico praefecit, in quod nos ille semiuiuos detulit, ac tibi curandos reliquit, ut nostra uulnera sanares uino ac oleo, hoc est doctrina ac sacramento. Habes enim doctrinam traditam à Domino, qua mihi ita praecipias: Non moechaberis. habes etiam oleum, quo moechum me sanes, illud nempe: Propter fornicationem habeas uxorem tuam. Si enim, Iuli, infideli-

fidelitas mea baptiſmo diuini illius Samaritani præſcripto curatâ eſt, cur quæſo eiuſdem inſtituto fornicatio mea matrimonio abs te nõ curetur? præſertim cum ita matrimonium pro oleo uulneri fornicario ſit à Domino in Eccleſia præparatum, ut eſt infidelitati baptiſmus. Vt enim à Domino de baptiſmo eſt dictum, Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit: ita quoq; ab eodem eſt præceptum, Quod ſi ſe non continent, nubant. Neque uerò audiendi ſunt hoc loco quidam hypocritæ triſtes ac fornicarij, qui hoc de ſolis laicis (ſic enim dicunt) non autem de clericis dictum à Domino uolunt eſſe. Quaſi uerò Dominus non apertè dicat, Qui poteſt capere capiat: ut quacunq; ætate ac ordine ſit is qui fornicetur, illi ſit dictum, Si non capis nubas. Quòd ſi tantas autoritates, tam notas, tamq; teſtatas non haberemus, tamen ſcelus eſſet nefarium, putare id quod in uno homine benedictio eſſet, illud ipſum in altero trãslatum maledictionem eſſe. Etenim quæro, num in laico matrimonium ipſum ſit benedictio? eſt ſanè, nec quæuis, ſed ſumma. Quomodo igitur quæſo hæc iſta benedictio in ſacerdotem translata, maledictio exiſtit?

Quæ res repentè hanc tantam, tamq; conſtantẽ uim mutabit, in maledictionemq; conuertet? Num Deus? At is benedixit mari ac fœminæ, illiſq;, Creſcite & multiplicamini, dixit. Num uerò, quod in ſuo

ſuo loco non ſit poſitum? Primùm quæro, quare, Num ſacerdos homo non eſt? num ille hominem ob id exuit, ac ſenſum omnem humanitatis propterea depoſuit, quòd is ſacerdotio fungitur? Minimè uerò. manet ergo in illo plena integraq; natura, tam apta ad generandum, tamq; conueniens, quàm manet in cæteris omnibus eiuſdẽ naturæ hominibus: quam naturam cõmunem Paulus apoſtolus animo complexus, illam honeſtis nuptijs incluſit, ac honorabili cõnubio terminauit: Epiſcopumq; ita, ut & laicum, unius uxoris uirum eſſe oportere, pronunciauit, filios habentem fideles: nõ in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Si ergo neq; Deus dator, neq; ſacerdos ipſe acceptor matrimonij in nomine Dei patris, & filij, & ſpiritus ſancti, aliquid de benedictione hac iſta immutauit, fateantur aliquando Sanniones iſti atq; Phormiones Romani, ut in laico, ita etiã in clerico collocatum matrimonium, benedictionẽ eſſe, nihilq; de natura hac iſta immutari hominum ætatibus, aut ordinibus. Hæret enim hæc in ipſis medullis, ac in nobis intima adeò eſt, ut neq; mutari, neq; euelli è nobis ullo modo poßit. Tit. 1.

Quòd ſi mens illorum ſtupri plena, hanc tantam ueritatis lucem non capit, age nobis reſpondeant, ineſſe'ne ita credant in clerico ad procreandum ſemen, ut illud ineſt in laico? Si negabunt, conuincemus

uincemus illos fornicationibus, adulterijs, incæstu, atq; Sodomia, ipso deniq; seminis fluxu, ac alijs multis peccatis, quibus illi in rerum naturam peccant, dum sancti atq; continentes absq; uxoribus legitimas aspernantur ac damnant nuptias. Ergo semen in me quoq; clerico ita inest, ut in laico: si inest, debetur ergo à me alteri. Hæc enim ratio seminis est, ut non sit eius in quo est, sed sit alterius ab eo in quo est. Cui uis ergo illud deberi, aut à me tradi? Iam tu me hoc loco Iuli doce: Semen in me est, foras prominet, retineri à me non potest, uis ut tradam illud scorto? uis ut puero? At utrunq; horum alienum est ab homine Christiano, alterũ etiã à Rutheno. restat ergo, ut illud aut uxori à me ductæ tradatur, aut effluat, dilabaturq;. At effluere ac dilabi illud pati, quod propagãdæ soboli à Deo est datum, scelus est, ac facinus nefarium. Restat igitur, ut reddere illud, tanquam debitum uxori, ius fasq; sit. Idq; præcepto apostoli Pauli, qui hoc istud nostrum semen ad hunc modum in nobis dispensat: Vxori uir debitum reddat, similiter autem & uxor uiro. Vxor ergo sola erit receptatrix legitima eius seminis, quod in clerico ad procreandum est: in quam uxorem sine scelere ac crimine nefario homo sacerdos ita semẽ abijciet, ut abijcit in terram subactam agricola, ut inde edatur creeturq; ex illo aliquid procreanti simile.

Cum

Cum igitur rerum natura cum præcepto diuino æqualiter nos ad matrimonium deducant, concedant isti nobis ita in clericis, ut in laicis, sanctas esse nuptias, neq; matrimonio nostro aduersentur: ne ut Sodomam ac Gomorrã olim, sic illos repentè deuoret terra uiuos, quòd illi naturam quasi matrem quandam matrimonij, Deum uerò tanquam patrem illius, impiè contemnant, ac contra illius instituta sceleratè contendant. Tu etiam Iuli, memento te in hac ista uigilia Ecclesiæ non aliud esse, quàm custodem legum naturæ, ac Dei, ut nunquam ab his neq; ipse discedas, neq; alios discedere permittas. Neq; uerò existimare debes ullã rem aliam esse, qua nitatur tua Pontificia autoritas, quàm ijsce legibus præstandis, quibus honestas inter homines, pietasq; seruatur. Inde enim cognoscimus te non solum uicarium, sed etiam amicum eius Christi esse, cui credidimus: qui cùm cæteris, tũ præcipuè tibi dixit, Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæcũq; dixi uobis. Porrò inter omnia præcepta, hoc istud de matrimonio præceptũ præcipuũ est. coercet enim naturã nostrã, præcipitem ad omne nefas. Integrũ igitur te præstare hoc nobis æquũ est, si te non uicariũ solũ, sed etiã amicũ eius Christi, qui hoc præcepit, uis à nobis perhiberi.

Ac fuerunt ante te, qui in ista sederunt sede, uicarij Christi: qui tamen amici illius, ut res ipsa declarat,

clarat, non fuerunt. Nunquam ego Hildebrandũ illum, qui Gregorius Septimus est dictus, amicum Christi fuisse dicam, qui ea asperitate & immanitate naturæ fuit, ut non solum futuras, sed etiam præsentes uxores sacerdotibus eriperet. Quid de Alexandro Tertio dicam? qui etiam legibus latis matrimonium ex Ecclesia in perpetuum exterminauit. Prætereo Bonifacium, ac ne Nicolaum quidẽ primum cõmemorabo, qui munus hoc istud matrimonij humanum, aßignatum à Deo nobis, eripuerunt suspensionibus, excõmunicationibus, proscriptionibus, atq; bonorum publicationibus, contra Christi Domini mandata atq; instituta. Fuerint ergo uicarij Christi in Ecclesia Gregorius, Alexãder, Bonifacius, Nicolaus, atq; Calixtus: amici certè illius nõ fuerũt. si enim fuißẽt, nunquã aduerso illi institißent uestigio, neq; de instituto illius aliquid mutaßent, neq; sponsam illius ad hunc modũ fœdißimè prostituißent, cũ ignominia ipsius sponsi sempiterna: qui ob fornicationes atq; stupra ministrorum Ecclesiæ suæ, blasphematur à Iudæis, à Turcis uerò atq; cæteris gentibus negligitur. Ioannes Bocatius certè quidem festiuus autor, memoriæ scriptum reliquit, Iudæum quendam Gallum cum magnis præmijs sui regis adduci nõ poßet ut nomen Christo daret, subitò ac Romam uenißet, illamq; sacerdotum horribilem libidinem uidißet, esse

esse baptisatum. putabat enim unum necesse esse, è duobus: aut Christum derelictum ita esse à Deo, ut bene ac malè serui illius uiuerent, idem esset Deo: aut illum summè charum esse Deo, quod illius ergò in illis sacerdotibus tãta flagitia impunè essent, quæ olim in idololatris diluuio, in Sodomitis igne, in Hebræis uerò serpentũ ictibus Deus puniuit. utruncũq; horũ esset, suã causam in peccatis tutã fore sub Christi nomine putabat. Vides quem locũ siue historiæ, siue fabulæ dederint illi Pontifices, qui sponsi potius sponsæ, hoc est Ecclesiæ Dei, quàm amici ipsius sponsi Christi Dei nostri fuerunt: qui nobis leges præscripserunt alias quàm Christus dominus, uerus animarum nostrarũ sponsus, nobis tãto antè præscripserat? Non gaudebãt ergo propter uocem illam sponsi: Qui non continet nubat, Melius est nubere quàm uri. Honorabile coniugium in omnibus. sed contrà clamorem Sodomorum ediderunt: Sacerdotum matrimonium contubernium est. Et item: Sanè prouideas attentius, ne deinceps clericus coniugatus ad sacros ordines admittatur. Et item: Eos uxores dimittere per suspensionis & excõmunicationis sententiam compellere procuretis. Quæ quidem non leges, sed Sodomorum clamores, ascenderunt ad Deum: quos ut cognoscat, descendit iam Deus. Meritò ergò isti non sponsi, sed impudentes proci, iam non

 stant.

stant. meritò etiam illorum manes à cuncta nunc Ecclesia exagitantur, eo quòd non audierunt uocem sponsi: sed nos inuentis suis traxerunt ad æternum nefas, ut illis autoribus sexus contemnatur à sexu. ut masculi in masculos turpitudinem operentur: ut omnes parochiæ, præbendæ, atq; Canoniæ scortis, adulteris, atq; spurijs redundent. Et breuiter, ut tot sint lupanaria, quot ferè sunt iam inter nos sacerdotum domicilia.

Hi sunt illi fructus Iuli, quos produxit nobis cœlibatus ille, quem ui atq; armis Syricius in Hispania, Hildebrandus in Germania, ac Alexander Tertius in cuncta Latina Ecclesia instituit, contra uocem sponsi, qui in Chana Galilææ stupẽdo prodigio cõmendauit nobis nuptias. Non ergo amici illi sponsi, sed adulteri sponsæ: non patres, sed uitrici nostri: non pastores, sed lupi ouium Christi fuerunt: quibus ita uisi sumus animæ uiles, infleta ac derelicta turba, ut nos palàm prostituerent, laqueosq; fornicationis nobis inijcerent, quibus illi reddiderunt nos (proh dolor) ex membris Christi apertè membra diaboli.

Quis igitur reprehenderit Græcos? quis Alexãdrinos? quis Antiochænos? Germanos, atq; meos Ruthenos? qui ut hos laqueos euitarent Hildebrãdos atq; Alexãdros istos cũ ipsa matre fornicationum omnium Roma reliquerunt: uitam autem honestam

honestam atq; mores pudicos anteposuerunt illorum non autoritati sed libidini, quæ per simulationem obedientiæ ad omnem inobedientiam Dei & naturæ nos traduxit. Quare non tantum non reprehendendi, sed iure etiã illi sunt laudandi, quòd Papam, quàm uitam honestam, deserere maluerũt: quam dum illis extorquere minis atq; interdictis Pontifices illi conantur, æquum fuit illos iura Dei atq; naturæ iuribus Papæ anteponere: qui in loco Dei sedens, nõ erubuit loqui palàm cõtra Deũ, ac tabulas proferre cõtrarias Dei tabulis, illis inquã in quibus olim digito Dei NON MOECHABERIS scriptum erat. Quòd illorum facinus si tu quoq; approbas, & si nos coges secundum illos uiuere, quomodo quæso socius furum non eris? aut quomodo cum adulteris portionem tuam non pones? Mihi certe consimilẽ culpam effugere posse non uideris, nisi apertè has istas Decretales Alexandri, tanquam tabulas impias confregeris ac abrogaris. Imò uerò deterior etiam erit tua causa, quàm illorum fuit. Illi enim quamuis arrogantia deprauati, tamen nullo exemplo superiorũ transierunt omnis honestæ uitæ finem, atq; modũ. Tu uerò, quod illi errore admiserunt, non solum consilio, sed etiã exemplo admisisse uidebere. Fortasse enim illi possent dicere, se opinione ac spe continẽtiæ in sacerdotibus futuræ deceptos, illas Decretales

tales scripsisse. Tu contrà, quam spem aut opinionem poteris tuæ culpæ prætexere? Nullam omnino. desperatam enim uitam nostram palàm uides esse: nos etiam opinari alios esse quàm sumus, non potes, qui cum naturæ repugnamus, & cũ ab Alexandro coacti, id sequimur quod assequi nequimus, non solum bipedum, sed etiam quadrupedum nequissimi facti sumus. Multæ enim pecudes norũt genus, norunt sexũ suum: at hæc inter nos confusa multis modis, adeoq; incerta sunt, ut etiam Romæ libellos publicè circumferri uideas, quasi quasdã fornicationum isagogas, in quibus genera concubitus, atq; modi, cum stuprorum simulachris descripta sunt, cum illa regula: ne quid matrem, sororẽ, nurum, glotem, amitam, ac ipsam cum puero infami materteram, aliud in rebus putemus esse, quàm mulieres explendæ libidini natas. Hæc itaq; præsentia, tantaq; ob oculos posita dedecora, non tibi pecudum ipsarum libidines superare scelere suo uidentur? Quæ tu nisi matrimonio inter nos constituto quàmprimum curaueris, non opinione deceptus, sed inductione animi adductus, nõ solum ferre, sed etiã iubere ac approbare uidebere. Quod si pergis facere eadem, nobis causa ad deserendum te ac urbem Romam iusta fuerit, quæ fuerat olim Græcis, Alexandrinis, atq; Antiochænis: quæ nũc etiam est Latinis, Bohemis, atq; eundem iam exitum

tum spectantibus Polonis. Quid enim quæso nos in tua fide retinebit? Num corona hæc ista uestra trifida? at ea terrori nobis magis est, quàm amori. Nũ crux tuo affixa pedi? At hoc etiã modo Christum à uobis putamus, cum ipsius præceptis, cõcalcari? Num uerò ipsius Bulla Iubilæi? At hic iste Iubilæus, quum scortatoribus portam Bonifacij instituto in Vaticano pandat, illã uerò ad regna Christi claudat, tam prodesse nobis putatur, quàm prodest thus mortuis. Restat igitur sola uis uobis, qua iam sola nituntur res uestræ. Si enim hanc istam uim remoueas, paucos omnino clientes uobis reperias. Excipio illos, quos suprà dixi, Papistas, quos uilis mercedula pertraxit ad omne speratum à uobis nefas. Sed tamen hæc ista uestra armata uis uacillat iam mirificè. Vt enim hominũ uoluntate stabat antea, ita etiam hac eadem cõmutata, in præceps dilabitur. Eò enim uobis res uenit, ut homines Turcicum, quàm Romanum, tolerabiliorem putent esse dominatum. Turca enim apertè uiolentus est, nullam pietatem aduersus nos simulat, nullam etiam mansuetudinem. Roma uerò ad ipsam uim acerrimam, hypocrisim etiam insidiosissimam addidit. habet enim potentiam, habet urbes, habet municipia, habet exercitus atq; duces, nec pauciores, nec ipso Turca inferiores: sed habet præter hæc, illa quoq;, quæ sunt ex summa mansuetudine

ac submißione Christiana deprompta, ut seruos seruorum, sanctissimos, reuerendißimos, reuerendos, ac uenerabiles Christi uicarios: quib. sanè nominibus quid mansuetius, aut submissius fingi aut dici potest? Quæ tamen ipsa nomina quàm apta sunt, quamq; congruunt cum bellis, cædibus, gentium atq; urbium euersionibus, tum uerò fornicationibus, Sodomijs, ac omnis generis Simonijs, ne Oedipus quidem, aut ipse Apollo Pythius explanare possent. Hæc ergo cum plurimum distare alia ab alijs, uehementerq; pugnare inter se cogantur: alterum horũ uobis homines concedũt, uos uidelicet dominos, principes, duces, reges ac tyrannos & esse & uideri: alterum uerò omnino negant, uos uidelicet seruos sanctißimos, reuerẽdißimos, ac reuerendos, uenerabilesq; Christi uicarios esse.

Quare uerendum est uobis, Iuli, ac magnopere pertimescendũ, ne eo quod erat ordinis uestri proprium, à uobis amißo, illud unà amittatis quod alienum uobis aßumpsistis: hanc loquor istam armatã uim, qua septi estis, & qua religionem Christi partim mutastis, partim uerò funditus euertistis. Quis enim amplius feret homines contra Deum ac contra conscientiam, ut uestra inuenta sequantur, à uobis cogi, non ratione aliqua, neq; ulla probabili doctrina, sed illo Phalaridis decreto: Volumus, iubemus, mandamus? Cui si non obtemperamus, extemplò

templò profertis illum secularis potestatis gladium, quem uobis nullo exemplo arrogastis. Christus enim dominus, cuius uos estis uicarij, cum rapere plebs uellet ut regem illum faceret, hoc est, ut secularem illi gladium daret: ne rex esset, ne ue talem gladium haberet, aufugit. Vos uerò serui ac uicarij scilicet illius, pro hoc isto gladio dum pugnatis, quid intentatum reliquistis? aut quos Imperatores, Reges, Tetrarchas, ac Dynastas bello non laceßistis? Pro hoc enim gladio Iulius secundus cum Venetis certans, Italiam bello concußit: Clemens uerò, ne patriæ quidem suæ Florentiæ pepercit. Ita illi serui (si dijs placet) seruorum, ac ipsius Christi uicarij, dum pro isto gladio contendunt, ea appetiuerunt, quæ ipse dominus dominantium atq; princeps omnium Christus non solum uoluntate, sed etiam fuga deuitabat. Qui sanè terror huius istius alienißimi à munere uestro gladij, quàm perterrefecerit homines, ac ipsam Ecclesiam dißiparit, uidetis. Diffugerũt enim cuncti, dispersiq; sunt, ac ab Romanis tanquam à furiosis dominis illorũ nomen detestati profugerunt. Quàm uerò illos facti pœniteat, & quàm excõmunicationibus Romanis adducantur ut redeant, uides Iuli. Summa (mihi crede) constantia contemnunt id, quod in illis semel oderunt: seseq; meliore cõditione nunc esse arbitrantur, cum uestro liberati sunt

 imperio,

imp·rio, quàm dum illo fuerunt constricti. Sunt enim primò uita pudica, deinde religione integra, in qua plebs calice, sacerdos uerò potitur uxore: quorum utrunq; à Pontificibus fuit nobis ereptũ.

Iam in Ecclesijs nihil est apud istos absonũ, neq; absurdum. uulgii enim lingua publicè Deus colitur, ac uerbum Dei syncerum in templis traditur. Cuius illa est summa, ut sciamus CHRISTVM IESVM mediatorem esse Dei atq; hominum, solum patronum illum esse, atq; intercessorem nostrum: quem etiam propterea unicam spem, uitã, ac dulcedinem, ac præsidium nostrũ una uoce atq; ore in templo congregati canunt, prædicant, ac docent: ut in tali ueræ pietatis occupatione facile uobis remittant has istas indulgentias, quæ tu ex Iubilæo hoc isto Romano cõfeßis ac cõtritis promittis. Semper enim ij qui ad hũc modum Deo seruiunt, confeßi & contriti sunt censendi, ut facile illis etiam absq; uestro Iubilæo Deus indulgeat.

At dices, Hæc nihil prodesse absq; Pontifice. Fac Iuli, Pontificem in Ecclesia non sine emolumento esse: tamen si alterutro carendum est, satius esse arbitror Pontifice carere, quàm hoc eodem autore negare Christum solum esse uitã ac spẽ nostram, mediatorem item atq; intercessorem ad Deum patrem nostrum illum esse: quod sanè ut negemus, paßim hic cogimur à Propõtificib. tuis. Quid ue

rò illa, calicem salutis perpetuæ abijcere, ut sacrilegus sis: aut uxorem dimittere, ut adulter: etiã ne satius erit, quàm Pontifice carere? Imò uerò ualeat Pontifex, & abeat quóuis potius gentiũ, quàm ut nos uel præter Christum dominũ ullum aliud nomen ad salutem profiteamur, uel fœdus illius quod calice continetur transgrediamur, uel uitam pudicam relinquamus Pontificis Romani gratia.

At capite carebitis, inquies: secundario fortasse certè quidem, quod tamen sua sponte, nulla nostra culpa, ipsum se abscidit à nobis. Ad primarium ergo caput recurremus, ad Christum uidelicet Dominum, qui dedit semetipsum pro nobis, cuius nos sumus solius peculium, & nullius præterea alterius. Pontifices uerò ipsos, qui pro seruis domini, pro ministris tyranni Ecclesiæ uolunt dici, comprecabimur, ut sese colligant, ac ad se redeant: aut si hoc impetrari ab illis non potest, nos quidem ualere sinemus, illa uerò uel illis inuitis retinebimus, quæ amitti à nobis nisi detestabili scelere nõ possunt. Cuiusmodi sunt, certa ueniæ per solum Christum spes, tum huius istius spei symbolũ ac fœdus certum, corpus ac sanguis Christi uerus: denique uxor ipsa, quæ custos est eorum operũ quæ gignit ea charitas, quæ in hac ista quã dico spe atq; hoc isto fœdere in nobis exardescit.

Quæ tria si fideliter absq; Pontifice retinebi-

mus, erimus quidē nos oues sine tali pastore, attamen nō serui absq; domino, illo inquā, qui (ut apud Ezechielē est) requiret gregē suum de manu pastorū, et cessare eos faciet ut ultra nō pascant gregē, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabit gregem suū de ore eorū, & non erimus ultra illis in escā. Horribilis sanè oratio, & illis in primis pertimescēda, qui Pōtificiæ potestatis arrogantia, quasi absolutißima sit, ita subnixi ambulāt, ut licere sibi abuti eo grege putent, quē sanguine emptū suo tibi tradidit Christus: qui ut nos in pascuis ipsis uberrimis ac in mōtib. excelsis Israel, hoc est in lege Dei, ac in uera doctrina Christi, non aūt in Decretalib. Alexādri, ac in cæteris modi istius inuētis hominū pasceres, & te pastorē, & nos oues tuas esse ac dici uoluit. Quòd si tu ex ijs pascuis ad alia nos adduxeris, uepresq; illas Decretalium pro hoc isto Euangelico cytiso nobis proposueris, quid restat aliud, quàm ut te tāquā alienū deseramus, ac tibi etiā illa utilia relinquamus, quæ in pascuis Romanis orta, hircorū sunt iā potius, quàm ipsorum arietum pabula? plebanatus loquor, Canonias item, atq; præbendas. Vt enim quisq; audacia & pecunia maximè excellit, ita expeditiorem illi ad hæc apud uos uia. Vidi ego Romæ, & magno quidem cum dolore uidi, homines doctos, atq; pios, in sacerdotiorum petitione hominibus indo-

ctis atq; impijs sæpe ceßisse. Quāuis enim illi scelerati fuissent, sicuti fuerunt pestiferi homines, suppliciòq; digni: tamē palàm anteponebantur ab auditoribus ac cæteris Officialibus, Romanis ijsce hominibus, quos sanctißimè uixisse constabat. Quorum cum in Rottæ iudicio dijudicarentur controuersiæ, tanquam ageretur de fundis & de possessionibus rusticorum prædiorum, non autē de una re omnium sanctißima (id autem est, de ministerio ac dispēsatione Ecclesiastica) ita lis inter eos transigebatur, ut is causa caderet, qui cum omnibus rebus ad rem diuinam instructior esset, ipso tamen iure inferior uideretur. Ex qua ratione uidemus in Ecclesia extitisse turbam istam purpuratā, quæ omni modo contendit, ut exclusis ac remotis ab omni administratione Ecclesiastica doctis atq; spectatis uiris, ipsa in Ecclesia omnia occupet, atq; sola omnibus rebus dominetur, ac omnibus intersit, cunctaq; ad se cōuertat. In quem usum quasi quædam uenalium uendendorum leges Romæ componuntur regulæ, instituūtur Officiales, ac tota ipsa Cancellaria Romana instruitur, ut inde uæneant dispensationes, proueniant gratiæ, ac quasi à fonte quodam profluāt omnes nundinationes rerum sacrarum. Quæ cum doctis atq; pijs uiris scelus sit petere, nefas etiam emere, pro præda sunt derelicta hominibus sceleratis, suppliciòq; dignis. Quorum

rum multi uiginti aut eo amplius curatis (ut uocant) beneficijs contenti non sunt, plura petunt, cum ne uno quidem sint digni: quæ illi miserrimi mortales omni conquirunt pecunia, seruitute, lite, atque morte.

Circumspice omnem hanc Cortisanicam turbam Iuli, quæ tuũ Romæ lãbit tribunal: potest' ne quicquam detestabilius tibi uideri, & hac ista sede indignius? de ijs loquor, quorũ quasi in messe quadam aurea, ea est Romæ pecuniæ cupiditas, ut cõplures annos miserias omnes perferant, à nulla turpitudine abhorreant, pro præbendis dum litigãt: ita ut etiam si quid obstet, ueneficijs ac cædibus occultis æmulum remoueant, ac litem abbreuient. Quid uero? Extra urbem Romam isti ijdem obedientiæ filij quas miserias non perferunt, ut beneficiati fiant? penetrant enim aulas, & limina regum: officijq́; ac nominis sui obliti, turpes sunt atq; infames, dum unum ex alio beneficium ementiuntur à regibus. Quos consectantur eo fastu atq; supercilio, ut illorum diuina illa spiritualitas, omnem superbiam exuperet aulicam. Si enim arrogantissimum aulicum cum aulico sacerdote in aula conferas, hœdum cum leone, agnum cum lupo, honestatem deniq; ipsam cum incredibili turpitudine conferre uidebere. Ita enim noctes & dies in scelere urgentur, ut facile flagitio superent omnem aulicorum

rum intemperantiam: in quo diem nocti iungendo, ut aßiduè perseuerent, officium atq; munus suum sacerdotale prorsus abiecerunt. Nunquam illi, aut rarò sacerdotia reuisunt: nec mirum. neq; enim illi sacerdotia, sed sacerdotiorum pecunias cõcupiuerunt: per sacrificulos uiles, uili cõductos ad id mercedula, omnem illã sacerdotalem curã absoluunt, nihil prorsus cogitantes, quàm pudicè, quàq; piè in sacerdotio uitam plebs illis cõmissa degat. at uerò fructus annui atq; uectigalia ut integra proueniant, mirificè sunt solliciti. Si enim uel tantillũ de decima, aut de aliquo cõmodo in terrã illis defluat, subitò omnibus interdictis exardescunt. excõmunicant enim, ac proscribunt, uitam etiam atque fortunas depaciscuntur, proq; libertate Ecclesiastica se certare iactant, se uidelicet Ecclesiæ catholicæ custodes esse, hæreticos pati nolle, exterminandos, tollendos clamant protinus: brachium etiam seculare implorant cõtra hæreticos, eorũq; fautores. ita illi cum non solũ alienißimi sint à catholica Ecclesia, sed etiam ipsius Ecclesiæ catholicæ hostes, prætendunt tamen suæ auariciæ sacrosanctum ipsius Ecclesiæ catholicæ nomen, ne quid non tam de honore, quem contemnunt, sed de sperata pecunia, quam concupiuerunt, deperdant.

Quorum hominum furor ac intolerabilis nequitia cum diu multumq; Ecclesiam Dei eluserit, quasi

quasi maturum ulcus ipsa se iam frangit: & quòd ad summum sit perducta, cum exitum spectat, ut cadat, ac intereat funditus. Quod quidem præstet aliquando nobis ille, qui est pastor pastorum, Christus dominus: ut hac sentina sceleratorum hominum releuata Ecclesia Dei, ueterem suam dignitatem atq; libertatem recuperet: quod & nos optare, & te præstare pro tua rata parte æquum fuerit, ut submotis à cōmodis Ecclesiæ hisce hœdis petulcis, uiros bonos hac ista pia utilitate, magna ratione Ecclesiis collata iuues, ac ornes, inq; tua fide retineas. Qui nunc cum apertè uideant Romæ & religionem Christi negligi, & commoda ipsius Ecclesiæ in homines apertè sacrilegos conferri, nihil uident, cuius causa in tua fide atq; clientela amplius uellent perdurare.

Equidem cùm cæteris rebus consolor hāc istam sacerdotiorum iacturam, tum illo hac in re efferor gaudio, quòd nihil mihi iam sit rei cum hisce hominibus, qui nulla cōmendatione uirtutis, neq; religionis, sed ambitione atq; largitione ad summos honores Ecclesiæ peruenerunt. An ego cecidisse me propterea putabo, quòd ijs sacerdotijs nō utor, quibus spurios interdum, sæpe etiam facinorosos homines uti uidemus? Quid uero? ignobilioremne factum esse extra sacerdotia putabo, hominibus ijs qui in sacerdotijs cum scortis conteruntur?

tur? Iam opes illæ sacerdotales, quanti tandem erant à me faciendæ, quæ in sacerdotijs meretricum mearum erant esca atq; cibus? O' præclaram illam diem, qua primùm mentem hanc suscepi, ut illas infelices opes desererē, ac motu quodam animi diuino abijcerem. Quæ si quis, ut nūc illis utuntur homines, consideret, quid quæso aliud sunt quàm illecebræ libidinum, ac ipsius superbiæ ancillulæ quædam atq; comites? Itaq; mihi ex multis diebus, quos in uita celeberrimos lætißimosq; uidi, ille dies clarißimus fuit, cum nuper Præmisliæ amicis, propinquis, atq; affinibus conuocatis, multisq; nobilibus uiris accersitis, sacerdotijs omnibus ultro abdicaui me, illaq; infami excesßi è uita, quæ tam fœda est, tāq; abiecta, ut quæuis pauperies sit præ hac homini nō auarißimo perquàm optāda. Mecū ergo quis neget actū esse præclarè, quòd ex illo Cōcilio, cœtuq; Cortisanico excesserim uiuus atq; saluus? in quē cœtū me iuuenē abripuerat siue fati uis quædā, siue potius autoritas eius patris, qui dum illas gratias Romanas, illarumq; fructus stupens miratur, hæc perditorū hominum prædam esse fuerat oblitus.

Quapropter ut eò, unde huc declinauit oratio, reuertatur, uides Iuli, quàm nihil sit tibi relictum, quòd nos retineas, si uxorē nobis negas. Non enim autoritas tua, non dignitas, non religio, non opes

opes deniq; ipsæ tuæ ad retinendos nos tibi sufficiunt. Conticuerunt enim hæc omnia, nec stant, sed cadunt, sublata pudicitia. quam nobis præstat hæc ista uxor, quam tantopere abs te flagitamus: ut si hæc denegetur abs te nobis, cætera tua quantumuis magna atq; expetenda nihili faciamus.

At tu hic fortasse decurres ad illud extremum atq; ultimum uestrum præsidium, ac dices, Excommunicabo te. Quid hoc siue rei, siue uerbi sit, uideamus paucis. Excommunicare siquidem nihil aliud est opinor Iuli, quàm ex cœtu aliquo quempiam diris deuotũ eijcere. Quæro igitur, ex quorum hominum cœtu cum uxore me eijcies? Num ex fornicatorum, adulterorumq;? At magnã etiam habebo tibi gratiam, quod me inter impudicos cũ uxore pudica habitare noluisti. Restat igitur, ut ex honestorum maritorum cœtu me eijcias. At si negabunt, ad teq; supplices accedent, abs teq; petent, ne ius matrimonij quod illis mecum cõmune est, in me uioles, producent uxores, ostentabunt tibi liberos, teq; per lares patrios ac deos penates obtestabuntur, ne me uxoremq; meam ab illis segreges: licere enim ad uitandam fornicationem, sobolemq; procreandam, dicent, uxorem ducere: naturale hoc ius esse, humanis inuentis non cedere: postremò institutum ipsius Dei, atq; sanctum illud esse, perseuerabunt: ita me illi complectentur, nec dimittent,

dimittent, sed summa ui retinebunt cum uxore uniuersi: negocium etiam tibi facessent, ac te anathema propterea dicent esse, quòd dæmoniorum doctrinis adductus, summi sacramenti ius inter homines uiolas. Tu uerò interea quid ages Iuli? aut quã in partem te uertes? uides enim, quàm omnis excõmunicatio hæreat tibi ad metas, & quàm quò digitum proferat, non habeat. Vt enim ex impudicorum cœtu me eijcias, ego & uxor oramus te obnixè: ut uerò ex pudicorum hominum communione me expellas, uides tibi per hos ipsos homines pudicos non licere, quibus ut aduersere, non est humanitatis tuæ: multo minus etiam eius expectationis quam de te summam habemus, ut te Pontifice cùm pietas ipsa atq; religio, tũ uerò pudor atq; pudicitia renascãtur denuò. Remota igitur excõmunicatione, restat exiliũ. At ne hoc quidẽ Iuli, si me audies, unquã contra me tentabis. Primũ enim cũ exilium calamitatẽ habeat, nõ culpã, nihil est quòd eã calamitatẽ metuã, à qua abest culpa. Quam enim quæso culpã habet, uxorem ducere? eãdẽ opinor, quam habet nasci, quamq; uiuere. Iccirco uereare, ne cum calamitatem mihi irrogare cogitas, ipsi tibi culpa noceas, ut ego calamitosus, tu uerò inuidiosus propterea permaneas. Deinde cum quo homine res tibi futura sit, etiam atq; etiam Iuli cogita. Non enim cum Italo, sed cum Rutheno: non

cum Pontificiæ, sed cum Regiæ potestatis homine futura res tibi est, in qua potestate omnia certis legibus geruntur, ac certis etiam imperijs continentur. Non idē tibi licere in Polonia Iuli puta, quod tibi licet in Italia: ex qua tu uerbo in exilium homines fortasse potes eijcere. Nec mirum. Seruit enim Italia cum filijs suis, easq́; uidetur ueteris imperij dare pœnas: ut quæ olim Regibus, Dynastis atq; Tetrarchis imperitauerit, nūc uicißim Officialibus, Copistis, ac cæteris impuris hominib. cū sua urbe Roma seruiat. At in Polonia secus est, in qua Rex ligatus legibus, seruus legū est: qui nō id facit quod uult, sed quod legibus uelle cogitur. Nō protinus rex Polonus, ubi tu digitis concrepueris, aut annulū illū piscatoris inuerteris, mihi iussus abs te dicet: Stanislae Orichoui, mandat Iulius Tertius, ex meo regno in exiliū abi. Hoc ille nunquā dicet: nec si uellet quidē, potest. Quid ita? quia lex in Polonia uetat quenquā capi, aut uinciri, aut proscribi, nisi lege regni conuictū. Quare ubi me tu proscripseris, hoc non erit regi, meo satis, sed dies dicetur etiā ab illo mihi, res integra in cōmitia deferretur, ut omnium ordinū sentētijs de eo quæratur, sit'ne mandato Pontificis Ro. Stanislaus Orichôuius, homo equestri loco ortus, propterea ex Polonia pellendus, quòd is contra mandatum Pontificis Romani ex lupanari sacerdotali profugerit, ac

uxorē duxerit. Quid futurum censes Iuli? aut quā Comitiorum sententiam expectas? Iam enim ego tibi prædico, me omnium ordinum sententijs absolutum iri. Quid ita? Quia Poloni honorant legitimas nuptias: imperāt etiam Græcis, inter quorū sacerdotes honorabile esse matrimonium cognoscunt: uestrum uerò cœlibatum Romanum tanquā Sodomam atq; Gomorram ita detestantur, ut nulla Comitia anniuersaria in Polonia ferè habeātur, in quibus de minuenda urbis Romæ intemperantia non deliberetur. Cuius deliberationis illa est summa: Indignum cunctis ordinibus uideri, fructibus regni fornicationes urbis ali. Ex hoc ergo cōmuni ipsius regni sensu intelligis, quàm æquos in Polonia contra me sis habiturus Iudices, qui (ut cernis) propter infamiam urbis capitali à te dißident odio. Sed fac proscribi abs te, ac exulem esse me. Quid tu postea? solum enim tantum, non etiam mentem uertam. In quo illud summum erit lucrum, quod à uobis, si ita uoletis, sine Deo uiris profugiam, non secus quàm profugit olim Lot è Sodomis, ante interitū uestræ ciuitatis: cuius clamorem, qui ascendit ad Deum, iam exaudio. Sulphur etiam atq; ignem pluere de cœlo iam conspicio super Sodomam istam uestram Romanam, cæcam atq; præcipitem: tum etiam angelus mihi, uti uides, missus est, qui me cunctantem ac dißimulan-

tem apprehensa manu eduxit, ac posuit extra pereuntem ciuitatem uestram.

In hoc tanto, tamq; præsenti uestro periculo, quid uis ut abs te deprecer? num damnũ, num excõmunicationem? num publicationem? num exilium? Imò uerò Iuli per omnes te deos oro, si cunctabor, ut omnibus me malis adigas Sodomam iam istã relinquere, ac inde cũ uestigio in ultimas terras quamprimum excedere, ut ultra Sauromatas, ac glacialem oceanum, maritus potius saluus degam, quam uel in ipsius Iouis sinu scortator pereã.

Nunquam, mihi crede, pœnitebit me eius uitæ, quam comitabitur honestas, & quam literæ Græcæ atq; Latinæ, in quascũq; terras fuerimus profecti, subsequentur. Quas cum ab ineunte ætate summo semper studio coluerimus, eam mihi opinor illæ uel in ultimis terris referent gratiam, quòd non præsenti solum, sed etiam futuro seculo testabuntur, me, autore Pontifice Romano, patriam charissimã, quàm uitam pudicam, relinquere maluisse: idemq; mihi accidisse cultori suo gloriabuntur, quod olim Aristidi Athenis acciderat, qui ob eam causam expulsus erat patria, quòd præter modum iustus esset. Vt mihi quoq; alia causa non fuerit exilij, si pellar abs te, quàm quod in tuo regno præter modum uolebam iustus esse.

Nullũ ergo Iuli, mihi tantũ dolorẽ inuretis, ut ex

ex conscientia præclarissimi facti non plus gaudeam, quàm doleam. Magna res est, fateor, amittere patriã, discedere ab amicis, necessarijs atq; propinquis, inter quos natus, cum quibus etiam educatus fueras. Nec uerò in exilio calamitas inesset ulla, nisi hæc molesta essent atq; grauia. Sed tamen quoties cogitabo cur hæc amiserim, toties mihi ueniet in mentem, quam turpitudinẽ reliquerim; adulteras nempe mulieres, incestu cõtaminatas monachas, scorta item cuiusq; generis, lectos, domos ac deos ipsos penates, in quorum conspectu nostra sæpe profusa libido est. Huius tantæ, tã tetræ, tãq; fœdæ turpitudinis facies, quoties uersabitur ante meos oculos, qui tantus dolor amissæ patriæ poterit existere, qui nõ tantorum flagitiorum odio obruatur? præsertim cum in meis oculis semper habitauerit uxor casta atq; pudica, cuius opera ex tã profuso atq; fœdo libidinum Romanarũ cœno me liberatum esse meminero: non tu me alterum Lotũ fore tum censes, qui cum Sodomorum urbem florentissimam, ac omnibus rebus affluentem mœrẽs, ac (ut Moses scribit) dissimulans relinqueret, illius urbis interitu postea solatus est exilium suum. Eam enim urbem fumantem paulo pòst uiderat, in cuius horribili flamma libidinis, ni maturè exisset, paulo antè illi fuerat pereundũ. Sic ego cũ opes uestras liquero, cum patriã amisero, cum ue-

stra iniuria exul alienas terras petiuero, illo me cõsolabor, quod uestrum interitum à longe dolẽs ac mœrens mirabor Iuli: qui uobis iam prædicitur certus, nisi tu caues, omnium mortalium ore. Cum enim cuncti homines oderint, cuncti etiam ob fornicationẽ exercentur uos, quid hoc aliud est quàm præmonitio miserantis quidem, sed tamen scelerũ tantorum pœnas à uobis iam exigentis Dei? Vt aliquando uel te duce atq; principe discedat Roma à uijs suis peßimis, quas Decretalium Alexandri instituto contra naturæ ius, ac contra legem Dei est ingressa: quibus uijs eò flagitiorum illa est iam progressa, ut propter illius turpitudinem atq; infamiam, tuam etiam pontificiam autoritatẽ aspernentur Græci, insectẽtur Alexandrini, agitent Antiochæni: Germani etiã atq; Boemi, ac cæteri Latini, ui & armis tanquam contagionem suis finibus iurisdictionem tuam exterminent. Expectas alias uoces Dei, si has contemnis, quibus te ac tuos à tam præsenti interitu Deus reuocet? Erras, & Deum ignoras Iuli, si putas illum cõmodius loqui tecum, quàm per homines ipsos, posse: quorum incredibilem consensum, ac planè conspirationem ad occasum tuæ pontificiæ potestatis, cum uideas, nihil aliud hoc esse interpretari debes, quàm prædictionem aut internitionis, aut certè conuersionis potestatis tuæ.

At dices: Vicit Cæsar Germanos, cuius uictoria impunitatem nobis peperit. Homines, Iuli, si fortè ignoras, Cæsar deuicit, non hominum illorũ animos. Suppressus in his, mihi crede, non extinctus latet dolor, qui erumpet aliquando summa cũ pernicie rerum cõmunium, ubi tempore conualuerit, occasioneq; ad erumpendum uim ac robur conceperit. Ac mea quidem sententia, si Cæsaris arma nihil aliud spectarunt, quàm ut conscelerata Roma fornicationum suarũ potiretur, illisq; perfrueretur quietè atq; ociosè, dij omen auertite: sed tamen ipse quoq; Cæsar uereatur, ne amissa in se imperij sui beneuolentia, imperium quoq; amittat. Neq; enim tanti sunt arma Cæsaris, tantæ uires, tantaq; illius est potentia, ut ei odio, quo omnes gentes atq; nationes urbem Romam oderunt, poßint obsistere. Peribunt, mihi crede, ac unà interibunt, & Roma & Romanus Imperator, si sceleris societate fuerint coniuncti. Sed absit hæc tam dira cupido à Carolo Cæsare optimo, atq; post hominum memoriam clementißimo Imperatore, eiusq; Austriaca domo nobili, atq; Imperiali, ut ille patriam suam Germaniam, unam præ cæteris terris florẽtißimam, maximeq; liberam prouinciam, tot periculis atq; bellis ciuilibus susceptis seruã Romanarum libidinum esse coegerit: ut Germania illa nobilis ac imperiosa, Copistarum nunc linguis

ſeru at, quæ olim ipſis Romanis rerũ dominis ſer uire noluerit, quorum uno die maximis cæſis exer citibus, ac linguis illis Cortiſanicis exactis, illas ui peras Romanas ſibilare in Germania inperpetuũ uetuerit. Has uiperas tã tetras, tamq; noxias ab inferis bello reuocare in Germania Cæſar ſtuduit, ut ſcilicet Romana adulteria maneant, ut urbis ſy monia floreat, ut ſacrilegia Officialium uigeant? ut confeßionalia, fraudes, uniones, doli, gratiæ, præſtigiæ deniq; illæ indulgentiarum atq; Iubilæo rum obruant Eccleſiam Dei, in Germania bellum cũ ciuibus Cæſar ſuſcepit, geßit, ac cõfecit? Quid minus credibile, aut aptum, conueniensq; eſt Cæſa ri? quem diuino munere natum eſſe omnes confi- tentur, ad conſtituendam Chriſtianam Rempub. quã armis Turca, Roma autem hypocriſi demoli tur: quam Romanam inquam hypocriſim cũ ſum ma Germanorũ ingenia, excellens etiam illorum doctrina ac uirtus eximia immoderatius ferret, neſcio quomodo Cæſari etiã ipſi infenſiores pro- pterea Germani fuerũt, quòd illa ſcelera in ſua ur be Roma, quæ illius imperij eſt ſedes, uerſari impu nè pateretur: quæ deinde in cæteras prouincias ad hominum perniciem, poſtrema cum peſte proflue rent. Qua de re cum Cæſar purgatum ſe eſſe om- nibus uellet, & illa legatione quam ad Paulũ Ter- tium anno quàm is eſt mortuus, miſerat: & in ijs pa

ctis

ctis atq; conuentis quibus res incertas ipſius reli- gionis ad futurum Concilium cõſtituit, apertè do cuit, ſe non pro cõſtabilienda hac iſta intolerabili potentia urbis Romæ, ſed pro retinenda repub. bellum cum ciuibus geßiſſe, quæ delabi uidebatur ijſce inimicitijs, quibus ſunt incenſi in urbem Ro- mam mortales uniuerſi. Itaq; aliud quære Iuli, quo te conſolere: hanc autem iſtam uſuram huius uictoriæ miſſam face. Non enim tibi, ſed ſibi ut ſal uum in Germania præſtaret imperiũ, omnibus il- lis bellis Cæſar quæſiuit. Et ſi à me ſcire uis, quod huic tantæ ueſtræ inuidiæ remedium afferas, dicã quod ſentio. Fac hæc duo in primis conſtituas, inte gráq; Romæ eſſe iubeas. Primò naturæ ius, dein- de legem Dei: ut ad hæc duo, tanquam ad aliquam certam normam, omnem Eccleſiã dirigas. Quod cum feceris, tum illa duo nobis reſtituas, quæ abs te non iam precibus, ſed apertis conuicijs efflagita ri ſentis, ut uidelicet plebs calicem, ſacerdos uerò ſuam habeat uxorem: quòd altero horum fides no ſtra, altero uerò uita pudica cõtineatur. Quæ duo quoniam tam obſtinatè à ſuperioribus Pontificib. ſunt nobis denegata, exacerbatis hominum ani- mis, uides quæ mala ſunt propterea conſecuta.

Nec uerò arbitrare, niſi ijſce duabus rebus re- ſtitutis, te pacatiorem Eccleſiam habiturum. non Hercules, etiam ſi tanto centies plus poßis, quan-

m 5 tum

tum te posse nunc simulas. Veniat enim tibi in mentem Constantiense Concilium, quo sanè Concilio Ecclesia Latina euersa esse dicitur: quantis motibus tum agebatur, ut extincto Ioanne Hussio, homine (ut doctorum monimenta loquuntur) innocentissimo, plebs ne uteretur calice, ferro atq; igni de sententia illius Cōcilij, à Martino Quinto praecludebatur uia ad id plebi: quam tamen annis pòst centum, multorum hominum internitione uides esse in Latio patefactam, ut ea ad Graecorum morem Latinis quoq; instituto Christi pateat.

Iam de matrimonio quid loquar? Quid enim Syricius in Hispania? quid Alexander in Italia? quid Heldebrandus in Germania non tentauit? aut quam crudelitatem praetermisit, dum sacerdotibus uxore interdicit? Et tamen quo motu rerum, quanta etiam perturbatione non efflagitentur solum, sed etiam recuperentur sacerdotum uxores, sentitis, atq; adeò intelligitis summa cum uestra, nominisq; uestri infamia. Nec conquiescent homines unquam, nisi haec duo, calix inquam & uxor, fuerint illis restituta, atq; adeò relata in Ecclesiā denuò: quae quòd eiecta per uos sint contra naturam, contraq; scripturam, iniuriam hāc homines ac uim nefariam non ferunt.

Qua quidem re permoti nuper Poloni quoque sunt Equites. Cum enim Ioannes Dziaduski Episcopus

scopus Praemisliensis ob ductam uxorem diem mihi dixisset, ut me eo nomine infamem pronunciaret, bona mea publicaret: ac me ex Polonia pelleret: mihi contra illum in comitijs Petricomens. cuncti Equites affuerunt, sicq; apud Sigismundū Augustum, & sapientem & dignum sede paterna regem, causam illam meam egerunt, ac si in illa salus cōmunis sita esset regni. & nisi Ioannes Tarnouius, ac Petrus Bunta, atq; Andreas Gorcanus, Comites, praestātissima autoritate uiri, intercessissent motumq; Comitiorum illorum sedassent, diutius in Polonia, aut Maguntinense exemplum illud uetus, aut hoc recens Bohemicum, ac Germanicū, nō fuerat tibi expectandum. At horum diuina sapientia atq; autoritate praestante, qua in Polonia ualent hi tres, plurimum agente & procurante Samuele Macieiouio Episcopo Cracouiensi, qui nuper Comitijs absolutis est mortuus, eò res est deducta, ut & Episcopus ipse Praemislien. me absolueret: & mihi ea necessitas ab illis summis uiris imponeretur, ut ad te quamprimum supplicatum de hac ista uxore Romam mitterem, ut eo pacto & Equitibus Polonis satisfieret, & tua autoritas Pōtificia integra in Polonia maneret, quae apertè labefactari illa mea de uxore cum Episcopo contentione uidebatur.

Huic ego siue decreto, siue pacto horum am-

plißimorum uirorũ ut ſatisfaciam, ſupplex nunc precibus & lachrymis proſtratus ad pedes tuos abs te peto, ut me reſpicias iacentẽ, ac meas rationes omnes diligenter cognoſcas. Cõfiteor enim palàm, me continere non poſſe, ſcortatorẽ etiam ac adulterũ me ad hanc diem fuiſſe. Cauſa nõ eſt quin mihi credas, ut meritò ſupplicũ uoce uxorẽ te nũc poſcam, non quam ducã, ſed quam retineã: ad quã ſanè retinendam nulla religio, nullumq́; uotũ obſtat mihi: nullum etiam uoui (ut iam docui) neq; etiam ſi uouiſſem, in tanta tamen mea infirmitate illud ualere deberet, contra meam ſalutẽ, quã ſumma fornicatione collapſam uides eſſe. Quare uxorem mihi permittas, ſine qua me nec ſtare, nec cohærere poſſe uides. Præſertim cum ita obſtinatè illam abs te petam, ut ſi tu negaueris, ego tamen illã non ſim dimiſſurus. Atqui hæc iam ſtat nobis ſententia, ut commoda omnia ueſtra uobis relinquenda: damna uerò, excommunicationes, atq; exilia ſint mihi non grauatim ſubeunda, dummodo ſemel datam uxori ſeruem fidem.

Tu itaq; Iuli, hiſce precibus noſtris locũ apud te uoles eſſe: & illud ſimul ſtatues, utrum ſit tibi ſediq; tuæ utilius, me'ne propter uxorem amittere, an propter hanc eandem retinere: tum etiam, ſi in hac mea cauſa nullius præterea negocium ageretur, quàm meũ, tamen magnũ eſſet, hominem cupidum

dum tui, ob rem præ cæteris ſacroſanctam amittere. Nũc uerò cũ ipſos Equites Polonos ea ſpectare palàm uideas, ut me cũ uxore, quàm ſine ea, malint ſecum uiuere: uereare, ne uxore mihi abs te negata, hoc reliquum autoritatis quod in Polonia reſtat tibi, amittas. Scito enim, me, ſi negaueris, ad omnes regni ordines de integro cauſam hanc delaturum eſſe: ut omnibus planum faciã, me tibi ſupplicaſſe quidẽ, ſed tamen impetrare abs te nõ potuiſſe: petamq́; ab omnibus hanc ueniã, quò mihi liceat omnes tuas minas, excõmunicationes, atq; execrationes, publicè negligere: & ſi tu inſtabis, etiã contemnere, propter cauſas quas et in hac iſta ſupplicatione ſcripſi, & in alijs libris (ſi Deus uolet) ſcripturus ſum: oſtendamq́;, ac planũ faciam, nos tibi obedientiam nullam prorſus debere, contra leges naturæ uiuenti, cõtraq́; inſtituta Dei imperanti. Deniq; negabo te nobis paſtorem eſſe, cui oues ipſi non ſumus: qui ſi eſſemus, non tu utiq; ea negares nobis, quibus ſalus noſtra ſuſtentatur. Tum etiã illa proferemus in medium, quæ adhuc quaſi myſteria in ſilentio apud nos latent domi: quibus planũ fiet opinor omnibus, me magna ratione abs te diſceßiſſe, ac cæteros debere diſcedere.

Ad hanc neceßitatem ne mihi neceſſe ſit decurrere, iterum atq; iterũ ſupplex abs te peto, ut hoc matrimonium à me initum approbes, mihiq́; diploma,

ma, priuilegij instar, mittas, quo te id ratum habe-
re decernas. Hac tu ratione, Iuli, in me uno uitia
ueterum Pontificum corriges: ac demonstrabis, te
non Iulium illum esse secundum, neq; Leonem, ne-
que Clementem, seditiosos ac improbos homines,
sed Iulium inquam Tertium, uita, moribus atq; do
ctrina illis omnibus dissimilem: ut abs te nihil nisi
conuenientia naturæ, atq; salutaria sint à nobis ex
pectanda. Hanc nobis de te spem dat, talem te ui-
delicet fore, cùm anteacta uita tua, qua nobis Ro
mæ fueras cognitus: tum etiam hoc istud præclarũ
de te patrum iudicium, à quibus Pontifex Max.
es factus: qui nisi te talem iudicauissent, qui Eccle
siæ labenti subuenires, atq; hanc Petri nauem tan
tis in fluctibus gubernares, nunquam tibi eius sum
mam permisissent, neq; tibi illius gubernacula tra
didissent, ad quæ tu sedens hosce sedares tumultus,
ac in tãtis Ecclesiæ tempestatibus, quasi solem no
bis reduceres. Hanc spem patres in te creando se-
cuti sunt: hæc etiam nos sustentat, ac desperare ue
tat, fore uidelicet meliore conditione, te Pontifice,
nos, quàm fuimus alijs Pontificibus.

Quæ spes ne nos fallat, te per sanguinẽ IESV
CHRISTI, quo empti ac abluti sumus, obtesta-
mur. Noli despicere preces has nostras, neq; tecum
ita cogita: Quæ iactura autem in uno homine Ru
theno, eoq; Barbaro fuerit? Veniat enim tibi in
mentem,

mentem, pro me quoq; illum Christum esse mortu
um, qui nonagintanouem ouibus relictis, me quo-
que, qui aberraueram, in hac ista solitudine requi
siuit, ac inuentum humeris ad hoc istud ouile retu
lit, cuius te siue curatorem, siue stabularium, siue
etiam uillicum esse uoluit. Deinde fac etiam illud
memineris, calamitatem meam, si quam mihi irro-
gaueris, à multis hominibus non posse esse seiun-
ctam. redundabit, mihi crede, illius acerbitas eti-
am ad alios: ad eos autem in primis, qui quem exi-
tum hæc ista supplicatio apud te sit habitura, expe
ctant. Quos ut in tua fide atq; obedientia mecum
unà conserues, permittenda uxore hac ista curare
debes: & illud prouidere, ne hac eadem negata,
multos mecum unà homines amittas. Quod tu fa
cilius facies, quanto intelligis magis te præscripto
eorum Romanorum canonum uxorem mihi posse
cõcedere, qui sacerdotẽ maritũ non matrimonio,
sed ministerio priuarũt: ego aũt omnibus sacerdo-
tijs ultro abdicatis, nõ tã pro ministerio quàm pro
matrimonio apud te nũc laboro: quod mihi cõcedi
abs te, supplici uoce petenti, æquũ est. Quod si fe
ceris, hanc tibi habeo gratiam, ut neq; fideliorẽ se
di uestræ hominem, neq; obedientiorem tibi quen-
quam sis habiturus. Publicè etiam tibi agemus gra
tiam, ac tuum nomen omnibus Græcis Latinisq; li
teris cõcelebrabimus, ut tam Græci, inter quos ha
bito,

bito, quàm Latini, cum quibus uiuo, te diuino quodam munere ijsce nouißimis temporibus, quæ periculosa fore olim prædixit Paulus, datum esse Pontificem nobis, lætentur: tanto prioribus dißimilem, quanto salus nostra cõmunis desperatior est facta illorum culpa: ut in hoc tam præclaro de tua excellenti uirtute iudicio, omnis memoria præcedentiũ errorum, ac omnis urbis infamia intereat. Tu etiã, ut hac ratione in mutua beneuolentia uiuas cũ tibi commissa Ecclesia: ac ex illa, pontificio hoc isto munere perfunctus, in illam Ecclesiam felicem, ac uerè triumphantem peruenias, ubi beati æterno æuo perfruuntur.

Hæc erat ratio supplicationis nostræ, hic etiam illius fuit finis: quæ ut apud te locum habeat, precamur obnixè.

Eiusdem Sanctitatis uestræ

Filius obediens

Stanislaus Orich. Ruthenus.

Datæ Præmisliæ, oppido Rußiæ, feria secunda ante Pentecosten, Anno Christi Dei nostri 1551.

f 2